



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

Liber Primus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

DIPLOMATA  
BELGICA.

CAPVT I.

*Dagobertus Francorum Rex anno 639. donat S. Amando, Traie-  
ctensi ad Mosam Episcopo, fundum, inter Scarpum & Elno-  
nem fluuios, in diœcesi Tornacensi situm, ad edificandum  
monasterium, quod hodie S. Amandi dicitur.*

**I**N nomine Domini nostri Iesu Christi, DAGOBER-  
TVS diuina ordinante clementia Rex.

Deum nobis fore propitium credimus, si ad refor-  
mandum & confirmandum religionis cultum præci-  
pua curam impendimus, & religioni deseruientibus  
munificentia & liberalitatis nostræ manum aperimus.

Proinde tam præsentium quàm futurorum solertiam scire volu-  
mus, quòd venerabilis vitæ AMANDVS Episcopus, qui per gratiam  
Dei filium nostrum SIGEBERTVM baptizauit, iam quibusdam ec-  
clesijs seu monasterijs, ad augmentum diuini cultus, constructis  
ac bene dispositis, Excellentiam nostram adierit, & vt non defi-  
ciens Dominicæ vineæ cultor, confidens autem de nostræ largitatis  
beneficio, locum situm inter duos fluuios *Scarp & Elnonem*, à nostra  
liberalitate sibi concedi humiliter petierit. Qui locus licet esset,  
propter multam siluæ densitatem, ad extirpandum difficilis, ta-  
men labori suo, imò post laborem suum, quieti & vsibus Deo mili-  
tantium, quos ibi se iam præmeditabatur per Dei gratiam ordina-  
turum, videbatur oportunus.

Nos igitur considerantes dignam reuerendi Pontificis petiti-  
onem, tum propter totius regni nostri, ac prolis nostræ stabilitatem  
ac pacem, tum propter animarum nostrarum salutem, locum, quem  
petierat, cum vtraque aqua & silua circumquaque succrescente, pro-  
na animi deuotione concessimus, & concessionem nostram rata  
legum sanctione stabiluimus.

Præ-

abusibus exponi oportet.



Præcipimus igitur, & ex auctoritate regia iubemus, vt nulla secularis vel ecclesiastica persona de loco supra scripto, cum aqua & silua, præfato Pontifici à mea liberalitate concesso, ipsi Pontifici seu successoribus eius vllam inquietudinem aut refragationem, vel præiudicium siue violentiam facere tenter, sed potius hoc regalis munificentia beneficium, tam ipse Pontifex & quos ibi ordinauerit, quàm qui ei successerint, sine vlla diminoratione, absque vlla calumnia & contradictione, securè ac perpetualiter habeant & possideant.

Quod si Diuina pietas locum ipsum, per industriam huius amabilis viri, ac successorum eius, & per deuotam largitionem bonorum hominum, meliorari & amplificari voluerit, quidquid exinde siue in causis, siue in fredis, siue in pratis, siue in terrarum diuisionibus & redibitionibus, siue aliquo modo, ius Fisci exigere poterat, in integrum tam præfato Patri, quàm successoribus eius concedimus. Ipsum verò locum & res ad eum pertinentes, quidquid etiam largitas Principum, vel deuotio quorumlibet fidelium deinceps addiderit, sub tuitionis & immunitatis nostræ defensione consistere volumus.

Et vt hæc regalis auctoritas firma ac inconuulsa perpetuò perseveret, præsens præceptum manu propria subterfirmauimus, & annuli nostri impressione signauimus; successores etiam nostros, vt in hoc ipsum morem nostrum imitentur, commonemus.

Anno  
639.

Datum Kalendis Maij Indictione II. anno XI. regni Domini DAGOBERTI. Actum Parisius ciuitate feliciter, amen.

GERARDVS Notarius, ad vicem DADONIS Cancellarij recognouit.

### NOTATIONES.

DAGOBERTVS) Francorum Rex eo nomine primus, anno regni XVI. Christi autem 644. obiit, pridie Kalend. Februarij: vt Aimoinus lib. 3. cap. 33. & Continuator Gregorij Turonensis cap. 79. narrant. Dagoberti historiam scripsit Iodocus Coccius, Soc. Iesu Theologus, Molshemij an. 1623. typis editam.

S. AMANDVS) Tungrensis seu Traiectensis ad Mosam Episcopus an. 637. consecratus, triennio præfuit. Exinde clerici contumaciam non ferens, Pastoris onus S. Landoaldo Archipresbytero, tamquam Vicario suo, reliquit, per annos nouem. Quo tempore vir Apostolicus, per Germaniam inferiorem ac superiorem, Euangelij doctrinam longè lateque diffudit.

Tan



Tandem solitudinis amore captus, & oneris Pontificij pertæsus, à S. Martino I. Papa Episcopatum prorsus relinquendi facultatem petit. Exstat apud Baronium, in Annalibus, eiusdem S. Martini epistola, petitionem abnegantis. Ad meliorem porrò vitam S. Amandus an. 662. transijt, in hoc suo Elnonensi monasterio conditus, quod nunc S. AMANDI à suo conditore dicitur, & à Benedictinis possidetur, tertio lapide à Tornaco.

S. SIGEBERTVS) Dagoberti filius, ann. 636. cum à S. Amando baptizaretur, infans XL. dies natus, insigni futuræ pietatis præfagio, respondit, Amen. Rex Austrasiæ à patre creatus, XII. cœnobio, in his *Stabulense & Malmundariense* in Arduenna, itemque S. Martini & S. Quintini apud Metenses fundauit, & an. 654. ad cœlites transijt, sepultus in suo S. Martini cœnobio. Quod cum esset dirutum an. 1552. bellis sæuientibus, ossa S. Sigeberti Nanceium, Lotharingiæ metropolim, demum sunt translata, & condita in primatiali Canonico- rum basilica: vbi in magna veneratione habentur.

Mart.  
Rom.  
1. Febr.

SCARPVS) fluuius Duacum, Flandriæ opidum, Academia an. 1562. instituta clarum, perfluit.

ELNO) fluuiolus. Hinc ELNONENSE monasterium olim sibi nomen induit, quod nunc S. AMANDI dicitur, in diœcesi Tornacensi.

PARISIYS.) Ita medijs æui scriptores, sed barbarè. Vetustis ac probatis scriptoribus est Lutetia Parisiorum.

DADO) qui & AVDOENVS (teste Sigeberto in Chron. an. 649.) Dagoberti Regis Cancellarius, biennio post eius obitum, hoc est, anno Clodouæi Regis 3. Christi 646. creatus est Rotomagensis Archiepiscopus: vt ipsemet in vita S. Eligij lib. 2. cap. 8. narrat. Obijt autem an. 676. in Martyrologij Rom. tabulas relatus.

Aug.  
24.

## CAPVT II.

S. Maximini monasterium, apud Treueros, à Constantino Imp. eius- que matre S. Helena fundatum, prædijs ac privilegijs augetur per Dagobertum Francorum Regem an. 640.

**I**N nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Omnium Christia- norum nouerit industria, qualiter ego DAGOBERTVS, Rex poten- tissimus, conuenienti consilio Episcoporum meorum, Comitum- que legatos de mea parte ad Abbatem MEMILIANVM direxi, man-

A 2

dans



dans ei, vt diligenter inquireret, mihiq̄ue per seipsum indicaret, quibus auctoribus illud monasterium S. MAXIMINI constructum, vel cuius imperio à pristinis temporibus esset subiectum.

Hanc legationem Abbas cum fratribus sollicitè percipiens, perceptisq̄ue in eodem loco quibusdam vetustissimis chartulis, inuentum est, ipsum monasterium CONSTANTINI Imperatoris fuisse regale templum, atque iussu eius dedicatum fore, in honore S. Ioannis Euangelistæ, à S. AGRITIO venerabili Archiepiscopo.

In quo videlicet templo, vt idem Pater monasterij nostræ Regalitati certa relatione patefecit, HELENA sacra... famula petente & fauente, supradictus Imperator pauperes Christi congregauit, eisq̄ue virum Dei *Ioannem* praposuit, vt in seruitio Dei semper vacarent, & pro se orationibus insisterent, & insuper illius loci habitationem aliæ personæ noluit subdere, nisi suæ successorumque Imperatorum potestati.

His rebus, ita esse, firmiter intellectis, regio more constituo atque firmissima iussione præcipio, vt nullus vnquam proteruè illud monasterium, in quo supradictus Abbas præesse videtur, audeat inire, vel vllam inhumanitatem illi violenter inferre.

Igitur vt assidua recordatio mei meorumq̄ue parentum maneret in prædicto monasterio, ipsorum præbendariorum S. Maximini vidualia, sub præmemorato Imperatore constituta, *Merchediêto* videlicet curia, cum suis appendicijs, vel quidquid infra milliare bannitum eadem Ecclesia tenere cernitur, additis mea ex parte prædijs augere curavi: quorum nomina hæc sunt, *Kannis, Cressiacum, Luycvvich, Regiodola, Vallis Polische, Budeliacum, Talenana, Loauia.*

Hæc loca ad regiam curtem, quæ dicitur *Decima*, pertinent: quam curtim, cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quidquid prædij visus sum habere, à fluuio, qui nuncupatur *Ruuera*, vsque ad siluam, quæ dicitur *Ieder*, S. Maximino præfuli in perpetuam hereditatem contradidi.

Insuper cum consilio & rogatu meorum Principum, cateruis inibi Deo deseruientibus hanc legem firmiter ac perpetualiter in posterum habendam decreui, vt centenorum ibidem summa monachorum semper integra maneat & inconuulsa: excepto, si Imperatorum Principumue per sæcula succedentium beniuolentia prædijs augmentetur vel thesauris.

Et si propter paganorum, vel infidelium, vel Christianorum de-

uastatæ



uastationem, iisdem Christi seruatoribus penuria vltra modum ingruerit, & per thesauri effusionem expelli nequiverit, Dei omnipotentis, & mei meorumque successorum habeant licentiam, allodium è familia, à fidelibus illis contraditum, dandi & vendendi, antequam Dei destruantur seruitia.

Et vt istius chartulæ confirmatio firma in æuum permaneat, describi eam præcepi, & nostro sigillo eam inde confirmaui. Actum Anno pridie Nonas Aprilis, anno regni nostri XII. Moguntiaë fideliter, 640. amen.

Signum DAGOBERTI.

HEINRICVS Cancellarius, ad vicem Rucolni Archicapellani, recognoui.

### NOTATIONES.

Diplomatis huius autographum hodieque in archiuis Abbatiaë S. Maximini adseruari dicunt; quod an. 1624. illius loci Abbas R. P. Heriberto Rosveido, Soc. Iesu Theologo, ostendit.

S. MAXIMINVS) Treuerorum Archiepiscopus S. Athanasium Patriarcham Alexandrinum, Treueris exulantem, anno 336. excepit. Sardicensi concilio, vnà cum S. Seruatio Tungrorum Episcopo, an. 347. interfuit. Triennio post, cum eodem Seruatio, à Magnentio tyranno, ad Constantinum Imp. in Orientem missus est. Martyrologium Rom. 19. Maij consule. Anno 305.

S. AGRITVS) claruit Constantini Magni Imp. temporibus, & concilio Arelatenfi secundo interfuit. Missus est autem Treueros à S. Siluestro Papa & S. Helena Imperatrice, sacratissimis donis, vt *Tunica Domini inconsutili, vno clauorum Crucis Dominica, & corpore S. Matthei Apostoli*, honoratus ab eisdem: quæ hodieque Treueris honorifice adseruantur.

### CAPVT III.

*Childericus Francorum Rex, eiusque vxor Blidechildis, dant S. Amando Traiectensi ad Mosam Episcopo villam Barisacum, in agro Laudunensi sitam, anno 656. aut 665.*

**C**HILDERICVS Rex Francorum, & BLIDECHILDIS Regina, viro illustri BERTVINO Comiti, & BERTELANDO Vicario.

A 3

Merito



Merito largitatis nostræ munere subleuantur, qui pro parentibus nostris vel etiam pro adolescentiæ nostræ ætate famulantur. Proinde cognoscat magnitudo vel utilitas vestra, quia nos propter nomen Domini vel amorem calestem, Apostolico Patri nostro AMANDO Episcopo, villam nostram nuncupatam BARISIACVM, sitam in pago Laudunensi, quam vsque nunc Fiscus noster tenuit, promptissima deuotione, cum vniuersis villulis ad se adspicientibus, & cum omni integritate ad se pertinente, concedimus & concessam esse volumus.

Quapropter auctoritate nostra præsentem decernimus ac iubemus, quod in perpetuum volumus esse mansurum, vt ipsam villam memoratam BARISIACVM, cum omnibus ad se pertinentibus, tam in terris, domibus, vineis, siluis, pratis, pascuis & mancipijs ibidem commanentibus, sicut Fiscus noster ibidem tenuit ac possedit, & ipse Pontifex Dominus AMANDVS, ad opus monachorum suorum, absque vlla contradictione vel diminoratione, teneat ac possideat.

Sic igitur in integrum hoc nostræ concessionis beneficium firmum esse volumus, vt iam dictus Pontifex de ipsa villa *Barisaco*, & de rebus ad eam pertinentibus habendi, tenendi, freda exigendi, mansiones faciendi, dandi, commutandi, vel quidquid elegerint, faciendi, liberam ac firmissimam, per nostram auctoritatem, habeat potestatem.

Insuper omnes successores nostros per nomen Domini adiuramus, vt nullus eorum ipsam villam, cum omnibus ad se pertinentibus, Domino Patri AMANDO, vel suis monachis auferre præsumat, vel vllam inquietudinem faciat. Quod, quicumque est ille, fecerit, iudicium porret, & sententiam damnationis incurrat.

Et vt hæc auctoritas, circa ipsum Pontificem & monachos eius, firmior habeatur, & per tempora succedentia perpetuo conferuetur, & ego, dum propter imbecillam ætatem minimè potui subscribere, manu propria subtersignaui, & Regina subterfcriptit.

Signum CHILDERICI Regis.

BLIDECHILDIS Regina subscripsi.

Datum sub die Kalend. Augusti, anno II. regnante Domino nostro CHILDERICO Rege.

Anno  
656. aut  
665.

NOTA-



## NOTATIONES.

CHILDERICVS) seu Hildericus, Clodouzi Regis filius iunior, an. 655. à patre suo Rex Austrasiæ constituitur; vt Aimoinus lib. 4. cap. 42. & Sigebertus in Chronico tradunt. Anno 664. Lothario Francorum Rege defuncto, idem Childericus à Francis ad regnum euehitur, & an. 667. à Bodilone viro nobili (quem ceciderat) occiditur. Childerico successit Theodericus frater; cuius diploma infra recitabimus.

Diploma istud, si à Childerico in Francia regnante datum sit, ad annum Christi 665. aut 666. est referendum: si à regnante in Austrasia; ad annum 656. aut 657. referas, licet.

## CAPVT IV.

*Theodericus I. Francorum Rex varia prædia donat monasterio  
S. Vedasti, apud Artesios, in vrbe Atrebatensi sito.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, THEODERICVS gratia Dei Rex. Idcirco potissimum collatam nobis à Deo credimus Imperij dignitatem, vt in tutela & augmento sanctæ Catholicæ Ecclesiæ ipsius piam exequamur voluntatem.

Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum, tam futurorum quam præsentium solertia, quòd adierunt Celsitudinem nostram monachi ex monasterio quod vocatur NOBILIACVS, vbi pretiosus confessor Christi VEDASTVS corpore quiescit, humiliter postulantes, vt regale decretum nostrum super villis, quæ nostra munificentia iam sibi cesserant, firmari iuberemus, vt quæcumque ex inspiratione diuina ipsis contuleramus, imperiali edicto & sigillo ad perpetuitatem staueremus.

Igitur pro salute tam successorum quam antecessorum nostrorum, videlicet Regum vel Imperatorum & pro totius statu regni, inspirante Rege omnium Regum Deo, præfato monasterio & monachis inibi Deo in perpetuum famulantibus regali liberalitate confirmamus, quæ iam eadem liberalitate concessimus, ad matriculam scilicet ecclesiæ, in Atrebatu pago *Atbeas, Felci*, ad portam eccle-



ecclesiæ, *Beruiuillam, Daguuillam* in pago Veromandensi *Mediolanas, Valles, Putheas* aquas: in *Batua Rexnam, Vulfaram* cum capella *Rothem*, & aliam *Rothem*: in pago Hasbanio & Ribuario, *Haimbecha, Halmala, Torona*, & inter *Albeim, Maridas, Ambron, Musinium; Grosas*, has villas, mansos dominicales sex, mansos seruiles septuaginta quinque: in *Watreuio, Cambach* cum appendicijs suis & ecclesijs: in pago *Caribant Maxin* cum appendicijs: in *Pabula Montes*.

De his ergo villis, cum omnibus appendicijs & redditibus & mancipijs, per imperialem Celsitudinem sancimus, vt nullus mortalium præsumat aliquid violentia qualibet vel fraude auferre vel demere, sed sicut à nostra liberalitate roborata sunt, præfati monasterij fratrum vsibus in perpetuum cedant .....

## NOTATIO.

Theoderici Regis tumulus hodieque visitur Atrebatu in Abbatia Vedastina, his versibus additis:

*Rex Theodericus, ditans vt verus amicus  
Nos ope multimoda, iacet hic cum coniuge Doda.  
Regis larga manus, & Præsul Vindicianus  
Nobis regale dant & ius pontificale.  
In decies nono, cum quinquages duodeno  
Anno, defunctum sciet hunc, qui quattuor addet.  
Qua legis hæc hora, Dominum pro Regibus ora,  
Muneribus quorum stat vita Dei famulorum.*

## CAPVT V.

*Præuilegium immunitatis concessum Abbatia Vedastina à S.  
Vindiciano Cameracensi & Atrebatensi Episcopo.*

**V**INDICIANVS Cameracensium vel Atrebatensium ecclesiæ Episcopus, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ filijs.  
Si locis, quæ Deo dicantur, nostra pontificali auctoritate aliquid conferimus, quo in meliorem erigantur statum, credimus nos mercedem exinde à Deo recipere, atque ad augmentum vitæ æternæ capiendæ emolumentum non modicum speramus nobis acquirere.

Qua.



Quapropter nouerint omnes fideles, præsentēs videlicet atque futuri, quia Dominus noster pijsſimus Rex THEODERICVS in generali placito, habito in *Compendio palatio*, in conuentu venerabilium Episcoporum, videlicet *Audoeni, Austregifili, Audomars, Eligij, Faronis*, atque *Lamberti*, nec non illustrium Abbatum *VVandregifili, Philiberti, Bertini* atque *Stupilionis*, suggessit humiliter nostræ Pontificali Celsitudini, quatenus Episcopali priuilegio roborarem, quidquid ipse contulit *Nobiliaco* monasterio, vbi S. VEDASTVS corpore quiescit, quod ab ipso pio Rege mirificè ac decenter regijs construitur sumptibus, in suburbio *Atrebatensis* ciuitatis; in quem locum nuper fuit translatum corpus dicti Pontificis Christi Vedasti à beato *Autberto* Episcopo, nostro videlicet prædecessore, ac honorificè humatum.

Denique omnibus notum est, eundem locum pertinentem fuisse ac subiectum ecclesiæ *Atrebatensis* ciuitatis; sed à memorato Rege gloriosissimo THEODERICO, me consentiente, vnà cum Clero nobis subiecto, est à nostra sequestratus ciuitate.

Igitur considerantes dignam & humillimam petitionem sapius dicti inclyti Regis, ratum duximus opere perficere quod ipse suggesserat.

Itaque per sanctam & indiuiduam Trinitatem, pontificali auctoritate obtestamur cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ filijs, præsentibus videlicet & futuris, vt hoc Episcopale priuilegium à nobis pro Dei amore editum, ita vt à nobis constitutum est, inuiolabiliter conseruetur, ab hodierno videlicet die & deinceps.

Per pontificalem auctoritatem omnes sæculares & iudiciarias potestates excludimus ab ingressu memorati monasterij atque castri, vt liceat monachis Deo inibi famulantibus ex hoc & in reliquum tempus quietè viuere, ac ab omni mundano strepitu esse sequestratos. Et adiuramus per Patrem & Filium & Spiritū sanctum, vt neque aliquis Episcopus, nostrorum videlicet successorum, neque Comes nec aliqua Regia vel Iudiciaria Potestas præsumat illorum ingredi monasterium siue castrum, neque ibi conuiuia exstruere, neque placita, nec aliud quid facere, nisi permissu & voluntate Abbatis, qui prælatus fuerit loco, vnaque cum voluntate monachorum: sed sint monachi Deo seruientes in præfato loco, iuxta quod beatus *Augustinus* docet de opere monachorum, vel iuxta traditionem



nem *S. Basilij*, vel secundum regulam *S. Columbani*, vel sanctissimi *Benedicti*, & hoc in arbitrio Abbatis constituimus.

Si autem talis exstiterit causa, ut merito Episcopus accessiri debeat, non aliter veniat, nisi vocatus ab Abbate vel à monachis: aliter (ut diximus) nec ipsi nec alicui liberum ingressum consentimus.

Interdicto etiam anathematis, & pontificali auctoritate stabilimus, ut ipsum castrum cum monasterio & villulis, *Filciacum*, *Thibigidum*, *Hadas*, *Hennincurem*, *Salviacum* cum *Theobia* filua, *Theuludum*, *Liniacum*, puteis, aquis & appendicijs ad se pertinentibus, non aliquis præsumat in his quæ diximus, aut in villis inibi pertinentibus præinictam habentibus, inferre aliquam molestiam, latrones vel bannos accipere, parasfredos inquirere; sed liceat monachis quietè omnia possidere, quo valeant liberius pro pace sanctæ Dei Ecclesiæ & vita Regis & coniugis ac filiorum & statu regni, Domini clementiam exorare.

Si quis verò priuilegij huius à nobis editi obseruator exstiterit, accipiat mercedem à Domino & benedictionem in presenti vita, & in futura vitam æternam. Qui verò nostram auctoritatem parauerint, illudque qualicumque modo temerare præsumpserint, per nostram Pontificalem auctoritatem reddantur extranei à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & à cœtu Christianorum, & à regno Dei, & descendant cum Dathan & Abiron in infernū viuentes, & cum Iuda traditore Domini nostri Iesu Christi, accipiant partem & societatem in die iudicij, & cum diabolo damnationem æternam, amen.

Ego Vindicianus Episcopus hoc priuilegium, à mea paruitate editum, subscripsi.

Ego Audoenus Episcopus, iussu Domini Regis & rogatu fratris nostri & Coepiscopi Vindiciani, hoc priuilegium subscripsi.

Ego Audomarus Episcopus absque ocellis subscripsi.

Ego Austregisilus Archiepiscopus subscripsi.

Ego Eligius Episcopus subscripsi.

Ego Faro Episcopus subscripsi.

Ego Lambertus Episcopus subscripsi.

Ego Bertinus Abbas subscripsi.

Ego Philibertus Abbas subscripsi.

Ego Agilus Abbas subscripsi.

Ego Wandregisilus Abbas subscripsi.

Ego



Ego Stupilio Abbas monasterij S. Quintini, inſu Domini Theoderici Regis, & rogatu Vindiciani Episcopi, hoc priuilegium ſcripſi & ſubſcripſi

Data Kal. Maij, anno vij. Domini Theoderici Regis, Indictione II. Actum in Compendio palatio, in Dei nomine feliciter, amen.

## NOTATIO.

Iſtud S. VINDICIANI Episcopi diploma ſeu priuilegium ex Vedasti & Eihamenſis monaſteriorum archiuis accepimus. Priuilegij eiufdem diſertè meminit Lietbertus Cameraceniſis Episcopus, in ſuo diplomate, quod Eihamenſi Abbatia an. 1064. conſeſſit, infra ſuo loco recitandum. Eiufdem mentio fit in Epitaphio Theoderici Regis, quod ſuperiore capite recitauimus. Dubito tamen, an Episcopi & Abbates, qui in diplomate iſto memorantur & ſubſcribuntur, vno eodemque tempore omnes vixerint. De ſingulis conſule Faſtos noſtros Sanctorum Belgij.

## CAPVT VI.

*Theodericus II. Francorum Rex immunitatem & prædia monaſterij Bertiniani an. 720. conſirmit, petente S. Erkembodo Abbate.*

**T**HEODERICVS Rex Francorum, vir illuſter, Grauioribus ſeu & omnibus Agentibus, vel iunioribus eorum, tam præſentibus quam futuris, in cuiuſcumque libet actionibus monaſterij SITHIV... Si facta parentum noſtrorum, quæ ad loca Sanctorum præſtiterunt vel conſeſſerunt, per noſtra oracula conſirmamus, digna conſuetudine exercemus hoc ideo, vt nobis ad laudem vel ſtabilitatem regni noſtri, in Dei nomine, pertinere conſidamus.

Igitur venerabilis vir Erkembodus Abbas de monaſterio SITHIV (quod eſt in pago Taruanenſi, in honore S. Mariæ genetricis Domini noſtri Ieſu Chriſti, nec non & SS. Petri & Pauli Apoſtolorum vel ceterorum dominorum Sanctorum conſtructum) ad noſtram acceſſit præſentiam, & clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eò quod proauus noſter GLODOVAÏVS quondam Rex de omnibus curti-



bus vel villis ipsius monasterij, quidquid eo tempore possidebant, aut adhuc in antea ex munere Regum vel de collato populi, seu de comparato, aut de comparando aut de quolibet attracto, in quibuslibet pagis aut territorijs inibi additum est vel collatū, integra emunitate antecessori suo BERTINO quondam, vel ad prædictum monasterium SITHIV concessisset, vt nullus iudex publicus ibidem ad causas audiendas, aut freda exactanda, vel fideiussores tollendos, nec mansiones aut paratas faciendas, nec homines ipsius monasterij, tam ingenuos, quàm & seruiētes, qui super terras suas commanent, distringendos, nec vllas redibitiones requirendas nec exactandas, ludiciaria ibidem Potestas ingredi non præsumat, nisi sub nostræ emunitatis nomine, omni tempore cum omnibus fredis concessum pars ipsius monasterij perenniter debeat possidere.

Vnde & præceptionem ipsius Principis proavi nostri CLODOVÆT, cum confirmationibus prædecessorum auunculorum nostrorum CLOTARII & CHILDERICI, seu auorum nostrorum THEODERICI & CHILDEBERTI, atque consobrini nostri CHILPERICI quondam Regis, ex hoc præ manibus habere affirmat, vt & ipsa beneficia concessa ab eo tempore vsque nunc videantur esse confirmata.

Sed pro integritatis firmitate petijt à Celsitudine nostra memoratus *Erkembodus* Abbas, vt hoc erga ipsum locum per nostram auctoritatem plenius in Dei nomine confirmare deberemus.

Cuius petitioni, ad mercedis nostræ augmentum vel reuerentiam ipsius sancti loci, ita præstitisse, & in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes enim præcipimus, vt quidquid constat superscriptum proauum CLODOVÆVM quondam Regem de ipsa emunitate, sicut superius est comprehensum, concessisse præfato BERTINO antecessori suo, vel postea ipsi auunculi, vel auus noster CLOTHARIVS & THEODERICVS, CHILDEBERTVS & CHILPERICVS, etiam & confirmationes consobrini nostri CHILPERICI quondam Regis iuste & rationabiliter concesserunt vel confirmauerunt, vel de eo tempore vsque nunc recto tramite sunt conseruata, ita & in postmodum per nostrum præceptum plenius in Dei nomine confirmamus inspectas ipsas præceptiones superscriptorum Principum, sicut per easdem declaratur circa ipsum *Erkembodum* Abbatem, vel successores suos, aut circa ipsum locum *Sithiu* omni tempore ipsa beneficia concessa in omnibus valeant esse conseruata, & nullam refragatio-



grationem, nec vllum impedimentum à iudicibus publicis exinde quoquam tempore habere non pertimescant.

Vnde & ipsa congregatio, pro stabilitate regni nostri vel salute patriæ, Domini misericordiam iugiter debeat exorare.

Et vt hæc auctoritas firmior habeatur & in omnibus conseruetur, manus nostræ subscriptionibus eam decreuimus affirmare.

Signum gloriosi Regis THEODERICI.

Data, quando fecit Martius dies tres, anno primo regni nostri, *Anno*  
Suessionis ciuitate, in Dei nomine feliciter. *720.*

## NOTATIONES.

SITHIV) seu Sithiense monasterium, ab Adroaldo viro nobili an. 654. fundatum ac dotatum, hodie est amplissima Benedictinorum Abbatia Bertiniana, inter muros vrbs Audomaropolitanæ in Artesia. Porro S. Bertinus, illius loci primus Abbas, an. 698. hîc viuere desijt.

S. ERKEMBODVS) seu Erquenbodo, S. Bertini discipulus, quartus Abbas Sithiensis, ac demum Episcopus Teruanensis seu Morinensis, anno 734. ad Superos transfijt, in S. Mariæ basilica, nunc cathedrali, conditus, vbi etiamnum sacra eius ossa religiosè adseruantur. Nomen eiusdem in tabulas Martyrologij Romani, 12. Aprilis, est relatum. Vitæ series exstat apud Ioannem Iperium, Abbatem & Chronographum ms. Bertinianum.

## CAPVT VII.

*Pipinus Francorum Rex Treuerense S. Maximini monasterium  
sub suo mandiburnia seu protectione an. 761. suscipit,  
Vtilrado Abbate postulante.*

**D**omino & Salvatore nostro vitam æternam in Euangelio promittente, plena & integra fide sine dubio credimus, nobis in futuro sæculo recompensari, si stabilitatem & quietem monasteriorum confirmamus, ac res ecclesiasticas, Deo donante, cum protectione augmentamus.

Proinde ego PIPPINVS, gratia Dei Rex Francorum, omnibus  
B 3 Regibus



Regibus in æternum futuris in hoc testamento denuntio, me habere sub potestate regali quoddam monasterium, vbi S. MAXIMINVS Dei Præiul est corpore sepultus, constructum videlicet in suburbio Treueris, atque dedicatum in honore S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ. Quod monasterium, cum thesauro atque tota Abbatia, sub illius loci Abbate semper constare præcipio: quia per antecedentia tempora à Regibus ita constitutum esse, repertum teneo.

Quapropter hunc præsentem Abbatem *Vitradum*, & omnes Abbates post eum futuros de eodem loco, simul cum monachis & Abbatia, sub Regum mundiburdio, in sæcula manere decerno: vt ab omni inquietudine expediti, Deo valeant seruire, cum gaudio spiritali.

Electiõnem quoque Abbatis supradictis monachis regali auctoritate concedo, vt habeant potestatem eligendi quemcumque voluerint, ea ratione, vt regulam cum sibi subiectis custodiat.

Si quis autem, quod absit, hanc chartulam infringere voluerit, vel eiusdem loci familiae vllam molestiam in aliqua re intulerit, contra voluntatem Abbatis & fratrum, iram Dei incurrat, ac Regiæ maiestati reus omni tempore teneatur.

Et vt descriptio firma sit, annulo sigillari eam iussimus nostro.

ADALOLFVS resignauit.

An. 761

Datum mense Ianuario, anno regni nostri XIV. in palatio publico Moguntia, feliciter.

### NOTATIO.

PIPINVS) cognomento BREVIS, Caroli Martelli filius, Caroli Magni Imp. parens, anno 752. Rex Francorum à S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino est coronatus, & an. 768. viuere desijt.

CAPVT



## CAPVT VIII.

*Carolus Magnus Rex Francorum, post Imperator, Treuerensem S.  
Maximini Abbatiam in protectionem suscipit, petente  
Verinolfo Abbate.*

**I**N nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Notum sit omnibus in  
Christum fideliter credentibus Regibus, Episcopis, Ducibus, quod  
ego KAROLVS, gratia Dei Rex Francorum, Longobardorum, ac Pa-  
tritus Romanorum, pro remedio animæ meæ atque stabilitate regni  
nostri, Sanctorum monasteria, sub meo regimine constituta, taliter  
volo, per successiones temporum, manere illæsa, qualiter per ante-  
cessoris mei priuilegia inueni esse firmata.

Proinde, quia Abbatiam S. MAXIMINI, in priuilegio mei genito-  
ris PIPPINI, sub ipsius mundiburdio constitutam repperi, ego quo-  
que delibero testamentum facere, per quod ipse locus, ad quem mo-  
nachi ibi conuersantes, sub nostra defensione, cum quiete valeant  
viuere, & orationi vacare.

Quapropter WERINOLFO Abbati de eodem monasterio supradic-  
ti confessoris Christi, quod est constructum . . . . . Treueris, at-  
que dedicatum in honore S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, mo-  
nachisque in eodem loco Christo famulantibus regali auctoritate  
seu potestate concedimus, vt habeant, in sæcula post nos futura, li-  
beram potestatem eligendi Abbatem inter ipsos monachos. Si au-  
tem ibi non potest inueniri, eligant sibi, vbi voluerint.

Insuper nostra præceptione constituimus, atque inconuulse fir-  
mamus, vt nullus Regum nobis succedentium, vel alia persona ali-  
qua contra eundem locum vel monachos, in tota Abbatia, vllam  
potestatem exercere præsumat: ne telonium vsquam à nauibus eo-  
rum exigat, seu placium teneat, sine iussione & petitione Abbatis:  
sed secure & cum pace maneat locus ille, sub nostro & successorum  
nostrorum mundiburdio.

Et vt istius chartæ auctoritas firmiter per tempora habeatur, no-  
stra manus signaculis eam affirmare decreuimus, & annulo nostro  
firmari iussimus.

Data



Data mense Augusto anno X..... regni nostri. Acta PADRE-  
BYRNA, fisco nostro super.....

Signum KAROLI gloriosissimi Regis.

NOTATIO.

PADREBYRNA) seu Paderborna, vrbs est episcopalis Westpha-  
liæ: cuius loci Episcopatum Carolus Magnus institutandum curauit  
ac dotauit.

CAPVT IX.

*Ludouicus Pius Imp. immunitatis priuilegia, per patrem suum Ca-  
rolum Magnum Blandiniensi monasterio, prope Gandauum,  
concessa, an. 815. confirmat, petente Amando Abbate.*

**I**N nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, LVDOVICVS diuina  
prouidentia Imperator Augustus. Si erga loca diuinis cultibus  
mancipata, propter amorem Dei, eisque in eisdem locis sibi famu-  
lantibus beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Do-  
minum aeternæ remunerationis rependi non diffidimus.

Proinde nouerit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium  
quàm futurorum solertia, quia vir venerabilis Abba AMANDVS, ex  
monasterio BLANDINIO, quod est constitutum in honore SS. Apo-  
stolorum Petri & Pauli, quod est situm in pago Gandensi super flu-  
uium Scaldim, obtulit obtutibus nostris immunitatem Domini &  
genitoris nostri KAROLI bonæ memoriæ pijssimi Augusti.

In qua inuenimus insertum, qualiter idem genitor noster & an-  
recessores Reges præfatum monasterium, propter diuinum amorem  
& reuerentiam diuini cultus, semper sub plenissima defensione &  
immunitatis tuitione habuissent: ob firmitatem tamen rei postula-  
uit nos prædictus Amandus Abba, vt eandem auctoritatem, ob amo-  
rem Dei & reuerentiam SS. Apostolorum Petri & Pauli, nostra quo-  
que confirmaremus auctoritate.

Cuius petitioni libenter acquieuimus, & hoc nostræ auctoritatis  
præceptum erga ipsum monasterium fieri iussimus: per quod iussi-  
mus atque præcepimus, vt nullus fidelium nostrorum, vel quilibet



ex iudiciaria potestate, in ecclesias, aut loca, vel agros seu reliquas possessiones memorati monasterij, quas moderno tempore, infra ditionem Imperij nostri, iuste & rationabiliter possidet, vel ea quæ deinceps à catholicis viris eidem collata fuerint monasterio, ad causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, aut mansiones vel paradas faciendas, vel fideiussores tollendos, aut homines eiusdem monasterij, tam ingenuos quàm seruos, super terrâ ipsius commorantes, iniuste distringendos, nec vllas redibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris aut futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato Abbati, suisque successoribus, res præfati monasterij, sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere.

Et quidquid Fiscus exinde sperare poterit, totum nos, pro æterna remuneratione, præfato monasterio concedimus, vt in alimonia pauperum, & stipendio seruorum, ibidem Deo famulantium, perenniter proficiat in augmentum: quatenus ipsos seruos Dei, qui ibidem Deo famulantur pro nobis & coniuge, proleque nostra, atque stabilitate totius Imperij nostri, à Deo nobis concessi atque conseruandi iugiter Dominum exorare delectet.

Et vt hæc auctoritas à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris verius credatur & diligentius conseruetur, manu propria subter firmauimus, & annuli nostri impressione muniri iussimus.

Signum LYDVICI serenissimi Imperatoris.

HELIZACHAR recognoui & notauit.

Datum IV. Nonas Iunij, Christo propitio, anno II. Imperij Domini Ludouici pijssimi Augusti, Indictione VIII. An. 815

Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

### NOTATIO.

BLANDINIENSIS) Benedictinorum Abbatia, in monte Blandinio, iuxta Gandauum, à S. Amando, Tungrensi seu Traiectensi ad Mosam Episcopo, circa an. 650. fundata, hodie S. Petri nomine innotescit.

C

CAPVT



## CAPVT X.

*Idem Ludouicus Pius Imp. Treuerensem S. Maximini  
Abbatiam an. 822. protegendam suscipit, petente  
Elisacharo Abbate.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. **LYDOVICVS**, diuina propitiante clementia Imperator Augustus, vniuersis Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, seu omnibus publicæ rei seruentibus, tam præsentibus quàm & futuris, notum sit, quoniam insignis vir & Abba **ELISACHAR** de monasterio *S. Maximini*, vbi ipse requiescit, quod dedicatum est in honore *S. Ioannis Euangelistæ*, in ciuitate quæ dicitur *Treueris*, attulit nostræ regalitati quoddam priuilegium senioris & patris nostri **KAROLI**, bonæ recordationis, atque excellentissimi Imperatoris.

In quo sua beniuola largitate denotatum fuit, qualiter supradicto monasterio & monachis, in eo pro regni nostri saluatione Deo fedulo seruentibus, ad necessitates eorum leuigandas, concederet, vt nullus in potestate sua esset, nec post eum futurus, qui in curtis vel in villis eorum placitum tenere, vel quidquam potestatis præsumeret exercere, sine Abbatibus & monachorum permissione, & addens, vt vbiunque naues eorum vel homines peruenissent, nullus telonium ab eis exigere auderet.

Et deprecatus est prædictus Abba, vt iuxta morem paternum, per nostram auctoritatem, idem concederemus: cuius rogationi assensum præbere, omnimodè placuit.

Igitur istud præceptum ad utilitatem monachorum fieri iussimus, per quod imperamus, ne quislibet de iudiciaria potestate, in curtis vel in villas ipsius monasterij ad causas audiendum, nec fideiussores tollendum, neque ad manendum, aut homines ipsius Ecclesiæ distringendum, ingredi præsumat: sed sicut ipse locus sub antecessorum Regum . . . . . hætenus fuit conseruatus, ita deinceps per nostram auctoritatem permaneat inconuulsus.

Et vt istud decretum firmitus per tempora conseruetur, manus nostræ subscriptione, & annuli nostri impressione signari iussimus.

Datum



Datum IIII. Nonas Aprilis, anno regni nostri VIII. in Longo. An. 822  
Iane, feliciter, amen.

Signum LVDOVVICI serenissimi Imperatoris.  
DANANDVS diaconus recognoui.

## NOTATIO.

ELISACHAR) seu HELISACHAR, Abbas S. Maximini Treuerensis, est idem, nisi fallor, qui Blandiniensi diplomati, paulò ante recitato, subscripsit.

## CAPVT XI.

*Gregorius Papa, petente Basino Abbate, monasterio S. Maximini Treuerensis immunitatem & alia priuilegia largitur.*

**G**REGORIVS, seruus seruorum Dei, BASINO venerabili Abbati monasterij S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, atque sanctissimi confessoris Christi MAXIMINI, cuius corpus ibidem quiescit, suisque successoribus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Si semper sunt concedenda, quæ pijs desiderijs congruunt, tanto propensius ea quæ pro diuini cultus religione postulantur, alacri deuotione & omni occasione remota, beniuola intentione continuò sunt largienda & perficienda.

Petisti ergò nos, vti monasterio tuo, quod in suburbio Treueris, in honore S. IOANNIS Euangelistæ constructum esse dignoscitur, vbi prænominatus Christi confessor corpore quiescit, ob confirmandam fratribus, ibidem Deo seruientibus, monasticæ tranquillitatis normam, S. Apostolicæ nostræ, cui auctore Deo deseruimus, Ecclesiæ priuilegium concederemus.

Nosque præ petitioni tuæ assensum accommodare curauimus, decernentes Apostolicæ auctoritatis præcepto, vti congregatio ibidem Deo religiosè deseruiens, sicut per præcedentia tempora à Regibus vel Imperatoribus eidem cœnobio concessum est, liberam deinceps habeat potestatem creandi inter se, quem secundùm Deum sibi elegerit Abbatem: nec aliqua cuiuslibet dignitatis persona in-



frā prædictum monasterium, nisi à te aliove Abbate tuo successore vocatus, quidquam pro suo libitu ordinare, vel temerè exercere præsumat.

Præterea Apostolica nostra auctoritate omnimodis interdiciamus, ne cui vnquam Ecclesiæ vel Sedi, comcambio aut alio aliquo ingenio, subdatur, sed tali libertate & immunitate, quali cetera regalia loca vtuntur, inoffensè & perpetualiter gaudeat.

Ipse verò locus monasterij perenniter sub mundiburdio Regum vel Imperatorum, filiorum scilicet S. Romanæ Ecclesiæ, Apostolico præcepto iubemus, vt permaneat; nullique vnquam personæ beneficiarius aut inuadendus pateat, sed ad vsus tranquillitatemque monachorum, ibi sub regula S. BENEDICTI Deo militantium, absque vllius contradictione, quietus permaneat.

Constituimus & ex paterna dilectione tibi tuisque successoribus concedimus, vt ad mysteria sacra, in præcipuis festiuitatibus, mitra, dalmatica, sandalijs vtaris; fraternitatem tuam commonentes, vt cum augmento honoris augeatur & in te diuini virtus amoris.

Prohibemus & ex auctoritate B. Petri, cuius vice, licet indigni, in hac Apostolica sede fungimur, & funditus interdiciamus, vt nullus Dux, nullus Comes, nulla prorsus persona ecclesiastica siue mundana, in possessione vel allodio S. Maximini, montem siue rupem capere, vel munitionem aliquam in eis facere præsumat: nisi fortè Abbas eiusdem monasterij, propter metum paganorum, vel propter incursionem malignorum hominum, ad tempus, donec tranquillitas pacis redeat, se suosque ibi interim munit.

Ad cumulum quoque vel augmentum monasticæ tranquillitatis adiucimus, ne qua cuiuslibet dignitatis persona magnum vel minimum alienare vel imminuere de rebus Ecclesiæ præsumat, tam de his, quæ per te modò, vel per alios eidem monasterio concessa sunt, quam ex his, quæ ceteri fideles, pro remedio animarum suarum, deinceps collaturi sunt.

Si quis verò, quod absit, ausu nefario præsumpserit ea, quæ à nobis ad laudem Dei, pro stabilitate iam dicti venerabilis monasterij, statuta sunt, infringere aut in quoquam violare, sciat se sub diuini iudicij testificatione, per interuentum B. Petri Apostoli, anathematis vinculo inextricabiliter innodatum, & à regno Dei alienandum, & cum diabolo & eius sequacibus, atrocissimis pœnis concremandum.

Qui



Qui verò, pio intuitu & respectu diuini timoris, obseruator huius nostrę præceptionis Apostolicę extiterit, æternę benedictionis gratiam à Christo Domino consequi mereatur. Data.....

Scriptum per manum BENEDICTI, Scriniarij S. Romanę Ecclesię, in mense Ianuario, indictione XII. in Dei nomine.

## NOTATIO.

GREGORIUS) illo nomine secundus aut tertius Pontifex Romanus fuit. Vter fuerit, constare poterit ex tempore, quo Balinus Abbas supra memoratus vixit.

## CAPVT XII.

*Nicolai Papę Epistola, ad Hermentrudem Francia Reginam an. 863. scripta, pro Balduino Ferreo Flandrię Comite, qui Iuditham eiusdem Regina filiam abduxerat.*

NICOLAUS Episcopus seruus seruorum Dei HERMENTRUDÆ Regina. Fidelium vniuersitas gentium, ex varijs mundi partibus, cuiuscumque sint ordinis vel ætatis, si qua forte criminis noxa, vel..... suorum formidine detinentur, ad hanc sanctam omnium terrarum matrem ECCLESIAM ROMANAM, vt salutare percipiant remedium, recurrunt, & ab ea non solùm animæ, sed & corporis saluationē (vt omnibus patet) humili prece suscipere precantur. Quibus, multis diuinitus fulta auctoritatibus, & sanctorū Patrum roborata documentis, materno amore solamina subministrat, & sugenda vbera consolationis compatiendo inferre minimè recusat.

Et quia hic BALDVINVS, qui carissimam filiam vestram, contra diuinarum legum sanctiones, rapuit, de his se esse recognouit; liminibus SS. Apostolorum lacrymosis & mœstis precibus lugubriter se obtulit, vt pro tanto crimine Apostolicam opem acciperet, nostroque Apostolatui nihilominus flendo se præsentare quæsiuit.

Cuius cùm lamentabilem & tanto scelere plenam cognouissemus petitionem, in mentem redijt, quod per Prophetam Dominus dicit, *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Miserti fuimus, &



hos vestrae in Christo dilectae industriae, Apostolicae sollicitudinis apices fieri statuimus, Missosque etiam RODOALDVM & IOANNEM reuerentissimos & sanctissimos Episcopos, deliciosos nostros, pro eo, vestrae caritati direximus.

Per quos obnixius deprecamur, vt praedictus BALDVINVS, qui vestram, per Apostolorum intercessionem desiderat beneficentiam obtinere, pro Dei amore gratiam percipere valeat, & de ..... nostri Praesulatus oraculis consolationem resumat, quatenus vt qui se per infelicem culpam a norma aequitatis declinasse non ambigit, medelam Apostolorum agnoscat, & apud vestrum seniore, venialem, nobis iuuantibus, vigorem obtineat.

Dextera vos supernae protegat maiestatis, & ab omnibus semper aduersitatibus maculisque conseruare dignetur.

Data VIII. Kalendas Decembris, Indictione XI.

Anno  
863.

### NOTATIONES.

HERMENTRUDA) seu Ermentrudis, Caroli Calui Francorum Regis VXOR fuit.

SENIOREM ) id est, dominum ac maritum. Hinc apud Italos natum vocabulum *Signor*, apud Hispanos *Señor*, & apud Gallos *Seigneur*.

### CAPVT XIII.

*Hincmari Remorum Archiepiscopi, & aliorum Episcoporum apud Vermeriam an. 870. congregatorum, diploma de libertate & pradijs Abbatiae S. Veasti.*

**H**INCMARVS Remorum Archiepiscopus ac plebis Dei famulus omnibus confratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis nunc ad Synodum vocatis, atque mecum VERMERIACO palatio constitutis.

Gaudendum est nobis, fratres carissimi, ac nimis in Domino Iesu Christo exultandum, pro senioris nostri, KAROLI serenissimi ac gloriosissimi Regis feruentissimo studio, quod ob amorem Dei & salutem



salutem animæ suæ gerit circa monasteria & loca Sanctorum releuanda, instauranda atque religiosè ordinanda.

Ad quod negotium vt ferueret, si fortè teperet, nos Episcopos conueniret illum ammonere. Sed ille, Deo gratias, Spiritu sancto plenus, vtilitatibus ac necessitatibus seruorum .... pauperum Christi consulēs, non solum nos ammonet, sed etiam humiliter deprecatur, vt in hac re illi adiutores prompta voluntate existamus; videlicet vt quod ille illis per suum præceptum confirmauit, nos diuina auctoritate & nostra Episcopali sententia ita corroboremus, vt in æternum nullus mortalium id audeat temerare atque violare.

Nunc verò maximè de monasterio sanctissimi confessoris Christi VEDASTI, eiusdemque loci monachis, quod dicitur NOBILIA-CVS, curam atque ordinationem præ manibus habet: quoniam ipsam Abbatiam, nunc nouiter reddente sibi nepote suo LOTHARIO Rege, recepit, quam olim, post bellum Fontanidum, fratri suo LOTHARIO Imperatori, ob gratiam firmioris inter se amicitia, præstitit.

Quapropter idem Dominus Rex senior noster de eadem Abbatia, sicut sibi suisque fidelibus visum est, quasdam res, villas, prædia, mancipia, cum omnibus suis appendicijs, imperiali præcepto suo indidit, auctoritate sigilli sui signauit atque confirmauit. Quarum villarum nomina sunt hæc; ad matriculam scilicet ecclesiæ, *Mainbo-duillam, Bais, Senous, Herborcisternam, Pomerias, Herbinicurtem*, mansos X. cum *Longobragio, Maininium, Morselle, & Scheldogothheim, Inuentiacium*, & in Dominica curte mansum vnum.

Has villas, cum mancipijs & omnibus ad se pertinentibus, in vsus luminariorum, matriculariorum, & ceteris quæ in ecclesijs, in præfato monasterio positis, necessaria fuerint, deputauit, cum omni censu de omnibus precarijs monasterij, eo modo, vt quidquid etiam ad medicinam opus fuerit, ex præfatis villis suppleatur.

Ad necessaria verò frarum, victus scilicet & potus, has villas delegauit, medietatem vici qui vocatur *Nonauilla* iuxta ipsum monasterium, & tabernam vnam: *Filciacum* villam, *Dominicamurtem, Theuludum, Bigartium, Hernanicurtem & Bernallam*: in pago *Beluacensi* *Mediolanas, Puteas aquas, & Inungiscurtem* mansum indominicatum vnum, & alios mansos XXIV. cum ecclesia & vineis & ceteris appendicijs: valles super fluuium *Sommam* cum caniba vna, & duobus molendinis, & mansum, ad eosdem pertinentibus. *Stragas, Saltiacum,*



*Saltiacum, Atramentarias, Mast, Marcheim, Sirigotem*, precariam *Emmonis & Tagengarij*. Has omnes villas, cum ceteris omnibus, vñibus fratrum æternaliter deseruituras deputauit.

Ad Cameram verò fratrum præfatorum has villas destinauit, *Atheias, Saltiacum, Liniacum, Campanias*, & in Fontanido mansos III. & mansum I. in *Lambras*, & alterum in *Hadas*, cum homine nomine Godone, & tabernam vnam in vico Monasterij, cum omnibus appendicijs, familijs & ecclesijs, & vniuersis ad se pertinentibus. Ad portam verò, *Berneiam* villam, & in *Anzinio* mansum vnum cum molendino, & in *Auez* mansos V. cum molendino, & decimam omnis Abbatie.

Ad hospitale verò pauperum in *Daginuilla* mansos VII. & in *Boneia* villa & *Lesales*, mansos III. & quintam partem omnis decimæ, quæ ad portam venerit, & de omnibus lignarijs omnium villarum, quæ ad Præposituram, vel ad Cameram pertinent caros X. Ad domum verò infirmorum, omne telonium ex mercato.

Pro remedio namque animæ genitoris ac genetricis suæ, ac pro sua salute & *ERMENTRYDIS* suæ carissimæ coniugis, dedit has villas fratribus, *Trontellicurtem, Cilliacum, Lutofum montem* atque *Tilgidum*; vt in eorum anniuersarijs refectio plenissima eis præparetur.

Vnde nos omnes Episcopi, qui Synodali euocatione hîc adsumus, senioris nostri *CAROLI* Regis iussu, ex auctoritate Dei omnipotentis & potestate nobis diuinitus collata præcipimus atque statuimus, vt nullus Rex, nullus Episcopus, nullaque persona alia de iam factis rebus, & de nominatis villis, prædijs, atque mancipijs, ipsis monachis deputatis, vnquam insequenti tempore aliquid agere præsumat, sed illarum ordinatio in Abbate vel monachis pendeat.

Nulla omnino seruitia, nec mansionaticos, nec parafredos, nec caricatorias ab illis villis exigat, nec placita in illorum villis quisquam teneat, vt ipsi monachi ab omni sæculari inquietudine immunes, liberè, religiosè & quietè in monasterio viuentes, absque vllius senioris impedimento, proprias res teneant, dominantur atque possideant, Domini que misericordiam pro senioris nostri prolisque regie sanitate, & æterna beatitudine, proque totius Sanctæ Ecclesiæ statu ac pace illos fideliter exorare delectet.

Monasterium verò ipsum, eiusque custodia atque omnis ordinatio ad ipsos monachos & ad Abbatem, quem sibi elegerint, pertineant; neque



neque CANONICI extra claustrum ad habitandum admittantur vterius, sicut hactenus omnimodis inhibemus, excepto seruitores illorum; quia non modicas dissensiones audiuius propter hoc in illo exortas fuisse cœnobio.

Si quis verò (quod absit) his nostris præceptis atque statutis aliqua leuitatis vel auaritiæ, cupiditatis vel malitiæ præsumptione contraire voluerit, vel aliquod impedimentum supradictis monachis, vel Abbati beatissimi VEDASTI inferre tentauerit, quolibet ingenio, qualibet arte, quoquo modo, clam vel manifestè, omnium nostrum sententia damnatus, à Patre & Filio & Spiritu sancto, Deo omnipotente, cui iniuriam facere non timuit, quia ipse dixit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; anathematis vinculis obligatus, à cœtu Sanctorum separatus, in æternum, iusto iudicio Dei, intereat in infernum, cum his quorum vermis non moritur, & ignis non exstinguitur; nisi publica satisfactione dignè pœnituerit, deposito, si laicus fuerit, sæcularis militiæ cingulo; si clericus, ecclesiastici honoris dignitate.

Pax verò & misericordia Dei super illos qui illa custodierint, quæ in isto diuinæ nostræque auctoritatis priuilegio conscripsimus, nostrisque nominibus in Dei nomine firmauimus, amen.

Statuimus denique, vt hoc idem priuilegium à nobis editum, diuinæque auctoritate roboratum, per omnia synoda, quæ in posterum agenda sunt, deferatur, nostrisque oramus humiliter successores, vt pro Dei amore & S. VEDASTI, ipsi quoque subscribendo corroborent, quod à nobis constitutum est.

HINCMARVS sanctæ metropolis Remorum Archiepiscopus subscripsi.

Egil diuino munere Archiepiscopus subscripsi.

Welino Rotomagensis Archiepiscopus subscripsi.

Herardus Turonis Archiepiscopus subscripsi.

Wulfardus Bituricensis Archiepiscopus subscripsi.

Froterius Burdigalensis Archiepiscopus subscripsi.

Ercheuranus Catalaunensis Episcopus subscripsi.

Hildegarius Meldensis Episcopus subscripsi.

Folericus Autricorum Episcopus subscripsi.

HILMERADVS Ambianensis Episcopus subscripsi.

Helias indignus Episcopus subscripsi.

D

Æneas



**Aneas** Parisiacensis Episcopus subscripsi.  
**RAINELMVS** Nouiomagensis Episcopus subscripsi.  
**Gunibertus** Ebroicensis Episcopus subscripsi.  
**Ercumbertus** gratia Dei Episcopus subscripsi.  
**IOANNES** Cameracensis Episcopus subscripsi.  
**Gualterus** Aurelianensis Episcopus subscripsi.  
**Gislebertus** Carnotensis Episcopus subscripsi.  
**Hincmarus** Laudunensis Episcopus subscripsi.  
**Airardus** Luxouiensis Episcopus subscripsi.  
**Christianus** gratia Dei Episcopus subscripsi.  
**Erminus** Siluanectensis Episcopus subscripsi.  
**ACHARDVS** Morinorum Episcopus subscripsi.  
**Odo** Beluacensis Episcopus subscripsi.  
**Rothardus** Suessionis Episcopus subscripsi.  
**Anselmus** Lemouicensis Episcopus subscripsi.  
**Isaac** Lingonicæ Episcopus subscripsi.  
**Robertus** Nannetis Episcopus subscripsi.  
**Abbo** Niuertensis Episcopus subscripsi.  
**Siemundus** Cenomanensis Episcopus subscripsi.  
**Hildebrandus** Saiensis Episcopus subscripsi.  
**Bodo** Augustidunensis Episcopus subscripsi.  
**Carlomannus** Abbas subscripsi.  
**Hugo** Abbas subscripsi.  
**Gauslenus** Abbas subscripsi.  
**Hilduinus** Abbas subscripsi.  
**Vulfo** Abbas subscripsi.  
**Berengarius** Abbas subscripsi.  
**Vulfardus** Abbas subscripsi.  
**Hildebertus** Abbas subscripsi.  
**Odo** Abbas subscripsi.  
**Fulco** Abbas subscripsi.  
**Ego GAVZLENVS** Abbas, iussu Domini **HINCMMARI** Archie-  
 piscopi, hoc priuilegium scripsi, & subscripsi.

## N O T A T I O N E S.

**VERMERIACO.)** De Concilio Episcoporum, apud Vermeriam  
 seu



feu Vermeriacum palatium an. 870. habito, Flodoardus in Hist. Remensi lib. 3. cap. 22. & Binius in tomis Conciliorum.

HUGO) Abbas S. Martini in suburbano Turonensi.

GAUZLENVS) Abbas S. Germani Pratenfis; postea Episcopus Parisiensis fuit.

HILDVINVS) Abbas S. Dionysij prope Parisios.

Loca seu prædia monasterij Vedastini, in Diplomate isto enumerata, quibus hodie nominibus exprimantur, vide in Annalibus nostris Belgicis.

## C A P V T X I V.

*Privilegium à Carolo Caluo Imp. ac Rege Francorum concessum monasterio Vedastino, an. 875.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. KAROLVS eiusdem Dei omnipotentis gratia Imperator Augustus.

Diuina ordinatione credimus nobis collatam Imperij dignitatem: ideirco gratias supernæ pietati referentes, quamquam multo minores simus beneficijs eius, cogitare tamen debemus quemadmodum collati nobis ab ipso Imperij scepra iuste, secundum ipsius voluntatem, dirigamus, & Ecclesiam illius, pro quâ sanguinem fudit proprium, in omnibus, ipso regente, protegamus: credentes quoniam nihil hæc oblatione illi gratius vniquam offerre valeamus, nihil quod in hac vita nobis salutariùs, nihil quod in æterna retributione gloriosius, de eius benignitate, prouenire possit.

Vnde nouerit omnium fidelium, tam præsentium quàm futurorum solertia, quod adierunt Celsitudinem nostram monachi ex monasterio, quod vocatur NOBILIACVS, vbi pretiosus confessor Christi VEDASTVS corpore quiescit, humillimis precibus postulantes, vt regale decretum nostrum, quod super iam dicto monasterio atque villis, necessitatibus eorum profuturis, nostra munificentia, simulque Episcoporum priuilegium, quod ex nostra iussione illis confirmatum est, Romani Pontificis auctoritate firmari iubere-mus, quatenus quod Episcoporum Gallicanorum auctoritas iuste pieque decreuerat, Summi Pontificis sanctione firmaretur, & liberalitatis nostræ clementia perpetuis sæculis commendaretur.

Quorum petitioni libenter annuentes, elementer indulsimus,

D 2

quod



quod iuste petere perspeximus, & . . . . instantiam considerantes confusorum temporum, & in futuro prouidentes, si quomodo possumus saluti fidelium & Ecclesiarum Christi prouidere stabilitati, pertinuimus inimicum pietatis, & nostro desiderio, qui Christi Ecclesiam cupimus superexaltare, contrarium, nisi perficeremus exorati, quod amore Christi commoniti debueramus vltro offerre.

Itaque vocatione Domini IOANNIS Apostolici Romani prope-  
rantes, & voto nostro, quod ex longo tempore cupieramus, satisfacientes, post collatam à præfato patre nostro, Summo Pontifice & vniuersali Papa, Christo nobis propitio, Imperij dignitatem, humiliter eidem Summo Pontifici supplicauimus, vt secundum præfatorum fratrum petitionem, edictum tam nostrum, quamque Episcoporum decreta Gallicanorum, sua auctoritate adstipulari dignaretur. Quam reuerendus Pontifex benignè nostram suggestionem suscipiens, non minus humiliter quam deuotè curauit perficere, quod vidit religiosè postulari.

Edidit igitur priuilegium secundum nostram auctoritatem expetitum, quo priorum statuta decretorum, Apostolicæ Sedis quoque & B. Petri Apostolorum Principis auctoritate firmarentur.

His ita peractis, cum Domino volente FRANCIAM rediissemus, petierunt præfati fratres, vt ea quæ Sedes Apostolica sanciuerat, nostro quoque inuiolabili roborarentur edicto: vt tam illa quæ nos, quam illa quæ venerabilis auctoritas Episcoporum decreuerat, nostra imperiali munificentia statuerentur ad perpetuitatem.

Vnde cognoscat fidelium nostrorum numerositas, & Ecclesiarum Christi admirabile consortium, quia statuimus atque imperiali edicto decernimus, quidquid reuerendus Pater noster, Summus Pontifex, præfatis fratribus priuilegio suæ auctoritatis concessit, præsentibus & futuris temporibus inuiolatum perseveret, neque à quocumque vel ecclesiastico vel sæculari præuaricetur.

Quod si quis Apostolicæ Sedis decretum contemnere, nostri quoque edicti concessionem paruiducere, atque contrauenire vel facere conatus fuerit, nulli dubium, quin illa damnatione mulcabitur, quam à Spiritu sancto credimus prolatam. A nobis verò vel successoribus nostris, quia infidelis esse dignoscitur ( neque enim magis infidelis quisquam nobis potest esse, quam ille qui nostræ salutis & præsentis & futuræ contrarius exstiterit ) secundum voluntatem

tem



rem & potestatem nostram dijudicetur, vt quod ab illis piè & salubriter statutum est, inprauaricabile & inconvulsim perpetuis temporibus permaneat.

Vt autem hæc nostri edicti constitutio æternis inuiolata temporibus permaneat, manus nostræ subscriptione roborauimus, & annuli nostri aurei appensione sigillari iussimus.

Ego GAVZLENVS Abba recognoui & subscripsi.

Data III. Kal. Iunij, Indictione VIII. anno I. Domini KAROLI *Anno*  
serenissimi Imperatoris Augusti, regni verò XXXVI. *875.*

Actum COMPENDIO regio palatio, in Dei nomine feliciter, amen.

## N O T A T I O.

LYDOVICO Imp. & Rege Italiae, Lotharij iunioris, qui primus Lotharingæ Rex fuit, fratre, an. 875. defuncto, CAROLVS CALVVS Francorum Rex Italiam & Imperium occupauit. Eodem ipso anno exeunte, die 25. Decembris Romæ Imperator salutatur, & à IOANNIBUS VIII. Papa coronatur.

Idem CALVVS Christi 877. Imperij II. regni Francorū XXXVIII. Lotharingæ VIII. anno, die 6. Octobris Vercellis obiit. In Imperio & regno filius LYDOVICVS BALVVS successit, qui biennio post, hoc est, anno 879. die 10. Aprilis, feria 6. ante Pascha viuere desijt, relicto in cunis filio CAROLO SIMPLICE: vt Flodoardus narrat.

## C A P V T X V.

*Carolus Calvus in Attiniaco palatio templum adificat ac dotat, in honorem S. Walburgis virginis, quod nunc possidetur à monachis Molismensibus.*

**K**AROLVS diuina propinante clementia Rex Francorum ..... Nouerit ergò omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum solertia, quemadmodum imitantes exempla priorum prædecessorum nostrorum Regum, Deum timentium atque colentium, ducti etiam nos religione & succensi igne diuini amoris, statuimus adificare ecclesiam in ATTIGNIACO palatio, in honore S. WALBURGIS Christi virginis, quam



quam pro tutamento totius regni ex partibus Orientalium, sagaci industria, adferre volumus.

Vbi ob prædecessorum successorumque nostrorum, nostræque Regiæ Maiestatis, regnique stabilitatem, condonamus ex nostro proprio iure .....

Signum KAROLI Regis gloriosissimi.

### NOTATIONES.

ATTIGNIACVM) siue ATTINIACVM palatium VIII. lapide à metropoli Remorum ad Axonam fl. situm fuit; vbi hodieque municipium Attiniacum, vulgò *Bourg d'Attigny*, visitur, estque Fiscus seu patrimonium regium. Palatium istud à Carolo Magno exstructum tradunt; in eoque Ludovicus Pius, & alij Imperatores ac Reges sæpè domicilium ac conuentus suos habuerunt.

Idem palatium postea Normanni, cum ecclesia S. WALBURGIS, quam Carolus Caluus ædificarat, funditus euerterunt. Ecclesiam post reædificatam HUGO Campaniæ Comes an. 1102. Molismensibus monachis tradidit: vt ex illius loci monumentis accepi.

Cæterum ista S. WALBURGIS ecclesia seu capella, in vico *Dyonne* sita, est hodie monachorum Benedictinorum cella seu prioratus, vt nuncupant, à Molismensi Abbatia dependens, distatque non procul à municipio Attiniaco.

Molismi porro adseruatur CAROLI CALVI diploma (quod nisi mutilum accepi) vt & tabula HVGONIS Campaniæ Comitis.

S. WALBURGIS) virgo, S. Willibaldi Aichstadenfis Episcopi soror, per S. Bonifacium Archiepiscopum, Germaniæque Apostolum circa an. 728. ex Anglia in Germaniam euocata fuit, cum alijs adiuuis, ad propagandam Euangelij doctrinam. Vide Fastos nostros Belgicos die 1. Maij.

### CAPVT XVI.

*Carolus Caluus Imp. an. 877. confirmat Bariacum, Gangiacum, & alia prædia Abbatia Marchianensis.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. KAROLVS misericordia diuina Imperator Augustus. Si seruatorum Dei utilitatibus subueniendo



ueniendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudinem fore nullo modo ambigimus.

Quapropter nouerit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium quam & futurorum industria, quemadmodum sororum & fratrum necessitatibus in cœnobio MARCIANAS nuncupato, videlicet sito in Comitatu Atrebatensi, in pago OSTREBANO, super fluuium SCARPVM, sub tutela S. RICTVVDIS Deo militantium, subuenire cupientes eorum indigentijs, nobis per BERNONEM venerabilem Diaconum, & Palatinum, dilectum Ministerialem nostrum, patefactis, decernimus per eiusdem Bernonis deprecationem, nostræ Altitudinis præcepto eis confirmari res, quatenus per nostram munificentiam, ad augmentum & utilitatem eorum, eas perpetualiter possideant, quæ inferiùs descriptæ habentur.

Concedimus igitur memorato cœnobio circa ipsum monasterium terras, aquas, & nemora, cum omni integritate. In pago Cameracensi villam de LIS, cum omni integritate, & in pago Atrebatensi villam Bariacum, cum integritate.

Similiter concedimus & in pago Ostrebanno villam Gaugiacum sub omni integritate, & in eodem pago Ostrebanno in LAMBRAS mansum vnum, cum molendino suo. Similiter & in prædicto pago videlicet Ostrebanno de villa RVLLAGIO anguillas CCCC. atque in pago Pabulensi, villam BEBROGIUM, cum omni integritate.

Pari etiam tenore largimur in pago Medenentinsi villam RVMCINIUM cum appendice villa TEMPLOVIO. Nec non & in pago Letico villam HAIGNAS cum appendice villa NANTGIACO. Similiter & in ipso Comitatu Letico de villa RINENGA, de omnibus scilicet rebus maioribus seu minoribus, ac de omni acquisitione omnem decimam.

De villa namque VIRIATACO iubemus tres partes fieri de vino, vnâ partem ad opus Senioris, alteram quoque ad vsus sororum ac fratrum in MARCIANIS consistentiam, tertiam quidem ad opus sororum ac fratrum in HAMATICO degentium, omnia iure perpetuo habenda.

Insuper etiam concedimus ad opus Ecclesiæ, infra ipsum monasterium, mansum vnum, & in villa AMPLIAS mansos duos, atque



que in luminaria eiusdem ecclesie de indominicato, de argento Hbras III. & ad Vinaticum similiter de indominicato, de vino modia XII. Ad hospitale eiusdem cœnobij, infra ipsum monasterium, mansum vnum, & in villa AMPLEIAS mansos II. atque in Rulliaco sericos duos. Nec non & de omnibus villis, tam de indominicatis, quàm ex beneficijs totius Abbatiz, omnem decimam pleniter statuimus largiendam.

Præterea statuendo sancimus, vt si in aliquo aliquid horum vobis defuerit, quia vnum sunt & sub vno Præposito, ex altero suppleatur; id est, si vinum aut annona in vno superabundauerit, & alteri defuerit, ex superabundanti deficienti necessaria tribuantur; & si neutrum horum vsibus fratrum suffecerit, ex indominicato cuncta necessaria suppleantur.

Nulla igitur ibi præponatur per violentiam persona, sed ad Episcopum ducatur electa. Hanc paginam, vt sit stabilis, annulo nostro signauimus.

Signum KAROLI gloriosissimi Imperatoris Augusti.

ADALETORIVS Notarius ad vicem GAVZLINI recognouit.

Anno.  
877.

Datum V. Idus Iulij, Indictione X. anno XXXVIII. regni domini Karoli Regis in Francia, & Imperij eius secundo. Actum PONTIONE, palatio Imperiali, in Dei nomine feliciter, amen.

### NOTATIONES.

De S. RICTWYDE Abbatissa, & fundatrice monasterij Marchianensis, prope Duacum, vide Fastos & Annales nostros Belgicos, itemque Origines nostras Benedictinas.

ANNO XXXVIII. ) puto legendum, anno xxxvii. in quem annum cadit Indictio X.

PONTIONE) fortasse legendum PONTIGONE: quod olim regium palatium fuit, inter Catalaunos & Lingones situm. De Synodo in Pontigone an. 877. per Carolum Caluum habita legitur apud Odo-ramnum Vitalem, & in Auctario Aimoini lib. 5. De gestis Francorum cap. 33.

CAPVT



## CAPVT XVII.

*Gemblacense Benedictinorum in Brabantia monasterium anno 922.  
à S. Guiberto viro nobili, eiusq; auia Gisla constructum ac dota-  
tum, Othonis I. Imp. edicto confirmatur an. 948.*

**I**N nomine Domini Dei & Saluatoris æterni. OTTO diuina fauente clementia Rex Lothariensium & Francigenum.

Quidquid Germaniensium, sub Imperij nostri ditione, Dei nutu, a venerabilibus ac Dei timoratis agitur viris, ratum ducimus nostris corroborari assertionibus, scilicet vt nostra firmitate ac defensione valeant contra infestantium incursum teneri.

Quapropter agnoscat fidelium conuentus, quod quidam WIBERTVS nomine, à sæcularis huius vitæ tumultibus recedens, contemnens transitoria, vt commutaret æterna, vertit se ad monasticæ regulam vitæ, sincero mentis cogitans affectu, qualiter à semet ipso, prout possibilitas sibi adesset, Deificæ maiestatis augmentaretur famulatus. Construere basilicam mox cepit in loco GEMELAYS dicto, in honore S. Saluatoris Domini nostri Iesu Christi.

Talis ergo desiderij carissimum nepotem suum WIBERTVM præfatum calore succendi prospiciens auia sua GISLA nominata, præsidio constructionis eiusdem GEMBLACENSIS cœnobij res eidem nepoti suo legali traditione contulit hereditarias, quas sibi vir suus nomine ROTHINGVS impendit, dotis gratia, in Comitatu scilicet LOMACENSI atque DARNVENSI, villam videlicet *Gemelaus* cum omnibus ad eam pertinentibus; in eodem quoque pago villam *Bufois* dictam, cum appenditijs suis, & in villa *Asnargia* quicquid ipse iure tenuit, vel hi, quos proprijs hinc notare studuimus nominibus, *Rothbertus* videlicet, *Angerus*, *Fulcoldus*, *Immo*, *Hericindus*, præter dimidium mansum, quod sorori suæ pro salute contulit animæ suæ: & apud eundem pagum villam *Saluenerias* cum inibi aspicientibus, vnumque mansum, quod emit, vocabulo *Ruoz*, alterumque mansum Fiscalem in loco, qui dicitur *Vilers*, antiquitus appendentem ad altare S. Petri principis Apostolorum; similiter in pago HASBAIN apud villam *Hermez* mansum vnum, quod ROTHINGVS & coniux eius emerunt.



Vita denique monasticæ normam pio multiplicari cernens in-  
 ruitu pijsissima GISLA suprâ memorata, veræ fidei diuinitus ardore  
 succensa, dedit amantissimo nepoti suo W I B E R T O, crebrò memo-  
 rato, omnia sub ea datione, quidquid præfatus vir ROTWINGVS, do-  
 tis gratia, legaliter donauerat, in Comitatu NASTENACO, villas sci-  
 licet *Naslei & Corbeis*, & *Auoncourt*, & *Curceles*, mansumque vnum  
 ad curtem *Romensis* dictam, villamque *Molins* vocitatum, siluamque  
*Boufotgis* vocitatum, & villam *Ailant & Vrei*, & mansum vnum in  
 villa *Ailant*, & molendinum vnum super fluuium *Fontlain* in Co-  
 mitatu LAZENSI, & chibanum quendam in ciuitate *Sens* nuncupata,  
 per annos soluentem singulos xxx. solidos nummorum, & curtem  
*Herbari*, & *Caderata*; similiter in Comitatu STAMPAIS villam  
*Maison* dictam, & villam *Algeldi*.

GISLA post hæc suprâ sapius memorata, diuinæ inspirationis in  
 ea magis ac magis crescente clementia, monachorum videns mul-  
 tiplicati cateruam, seque diuino mancipans obsequio, dedit etiam,  
 præter ea quæ iam suprâ notauimus, ex propria hereditate, in Comi-  
 tatu videlicet MASAV, in villa, quæ dicitur *Masnac* quâdam terre par-  
 tem, complicemque nauium per annos soluentem singulos quinque  
 solidos denariorum, in eodemque Comitatu villam, quæ dicitur  
*Bierrine*, in qua habetur ecclesia medietate quidem nostra, mansus  
 indominicatus, molendinum, camba, capturaque piscium; in Co-  
 mitatu vero RENTERS villam *Molinort* dictam, cum inibi pertinen-  
 tibus, ac in quadam villa eiusdem Comitatus *Berga* vocitata super  
 fluuium *Rin*, vineam optimam.

Dominus interea præfatus W I B E R T V S de paternis vel mater-  
 nis rebus sibi iure hereditatis legales faciens traditiones, dedit quid-  
 quid iurium visus est habere, extra fratrum suorum societatem, sub  
 nomine Dei & Salvatoris nostri sanctique Petri, regni eorum cla-  
 uigari, fratribus in eodem loco GEMBLAYS, sub regulari viuente  
 bus disciplina, quos ibidem Dei coadunauerat miseratione, in Co-  
 mitatu scilicet BRETBANT, in loco *Melin*, ecclesiam, mansum in-  
 dominicatum, cum appenditijs suis, cambam, molendinum, &  
 culturam *Arnulphi*, ad decem mansos, de *Lietzinis*, quos filio suo  
 carissimo W I B E R T O mater solummodo cum fratre suo OILBOLDO  
 legaliter tradidit, & vnam insulam in eadem villa, & apud eundem  
 pagum medietatem villæ *Putian*, medietatemque *Beutene*, in Co-  
 mita-



mitatuque DARNVENSIS medietatem villæ *Curtily* dictæ, ac medietatem villæ *Walabam* dictæ, medietatemque *Wasmont* in pago HASBAIN.

Siquidem & in hoc habuit doctorem & patronum quendam venerabilem ERLVINUM, qui & ipse canonicâ, qua viuebat, regulam mutauit in monasticam vitam. Ipsum prorsus is præfatus WIBERTVS, post ædificatam ecclesiam, & officinas claustrî, quas simul construxerant, sibi elegit Abbatem, & se cum omnibus, quas accerserat, monachis commisit regendum, illi potius se, quam sibi met ipsi credens.

Igitur quia bonis debemus adminiculari viris, ut nostra valeant tuitione defendi, regia magnificentia ac virtute nostræ roboramus auctoritatis, quidquid ipse contulit illi ecclesiæ, videlicet in GEMBLAYS, ac quidquid exinde venerabilium virorum largitione, Deo fuerit annuente concessum, ut nullus fidelium, vel aliquis eius heredum aliqua temeritate infringere audeat, sed potius inconuulsum semper permaneat.

Habeant sanè potestatem, sicut ipsi à nobis expetierunt, eligendi regularem, vel in illo loco, vel vbicunque eis melius visum fuerit, Abbatem & Aduocatum, qui inibi datas res lege detineat nostra, vel Comitum nostrorum defensione: quibus eodem iussionis meæ imperio faciendi castellum concedatur potestas, à falsis quatenus Christianis, vel paganis pignora Sanctorum, quæ inibi digno condita sunt honore, saluentur, Deoque famulantes, ab omni proregantur aduersitate, nullusque nobis succedens Rex in æternum aliquod audeat ex eodem loco expetere seruitium, præter munia orationum, ab omni que subiectionis excusus onere, Regum perpetua firmetur tuitione, nec quouis modo aliquis Episcopus, in cuius diocesis idem existit locus, aliquam vim contra voluntatem Abbatis habeat, nec Synodum peragere, nec vllam omnino rem exercere, nisi tantummodo monachos eiusdem Abbatis ordinare, post mortemque eius accersitus, iuxta regulam S. BENEDICTI, consilio monachorum, cæterorumque comprouincialium, nomen Dei timentium, imperioque Regis electum benedicat Abbatem: sicque nullius muneris accepto seruitio, præter constitutam præbendam panis S. Saluatoris, ad statum redeat propriæ sedis.

Et quia sub nostra consistit ditione, annuimus Abbati CANCEL-

E 2

LARIUM



LARIVM sibi constituere quemcumque voluerit ex suis; similiter mercatum, percussuram monetæ, macheriam; nec per gyrum ipsius Abbatis quislibet Comes siue Legatus Dominicus vlla vtatur potestate, sine permissione Abbatis & Aduocati: isdemque locus absolutus sit ab omni teloneo; nec in ciuitate, nec in castello, nec in villa, nec super aquas, nec in pontibus, nec in vllius Imperij nostri loco tributum soluant, & huiusmodi, per succedentia tempora, locus ille Regum tueatur regimine ac defensione, vt nos & succedentes Reges eorum protegamur oratione.

Porro hoc vt maneat ratum, & per succedentia tempora inconvulsus, annuli nostri impressione sigillari iussimus, ac manu nostra subtus firmauimus.....

## NOTATIONES.

Diploma istud, vt & proximè subsequens, desumpsimus ex manuscripto Catalogo Abbatum Gemblacensium, quem Sigebertus Gemblacensis Chronographus, illius loci monachus, conscripsit, typis aliquando edendum, vt spero,

Est autem diploma istud anno 948. editum: vt ex Sigeberti eiusdem Chronico colligi datur; cuius hæc sunt verba: *Immunitas nostra, Gemmelacensis scilicet, ecclesia hoc anno 948. Imperiali confirmatur editto, & annuli impressione corroboratur. Erluinus, primus eius loci Abbas à sancto patre nostro Guiberto electus, in sanctitate & religionis seruare claret.*

WIBERTVS) seu Guibertus, fundator monasterij Gemblacensis, in tabulis Martyrologij Rom. 4. Februarij GILBERTVS nuncupatur, & an. 962. in Gorziensi Lotharingæ Mosellanae monasterio (quod nunc est Canonicorum collegium) viuere desijt: inde Gemblacum translatus & an. 1110. è terra eleuatus, procurante Sigeberto Chronographo Gemblacensi, qui & vitam eius scripsit, à Surio editam. Vide Fastos nostros Belgicos.

CAPVT



## C A P V T X V I I I.

*Fulquinus, vir potens, villampagi Brabantensis, Dorp nuncupatum, dat monasterio Gemblacensi, circa an. 950.*

**Q**uisque bene possideat res in præsentis sæculo acquisitas, ille utique optimè possidet, qui de terrenis ac caducis sibi mercatur æterna.

Quamobrem ego in Dei nomine FULQUINVS, cum consilio vel suasu benignissimi Faraberti Episcopi, pro salute animæ beatæ memoriæ Richarij Episcopi, ipsius etiam Faraberti, pro salute nihilominus animæ meæ, filiorumque ac fratrum meorum, siue quoque gratia æternæ salutis, trado & perpetualiter tribuo Ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatiq̄ue Petri Apostoli Apostolorum principis, atque S. Exuperij, in loco, vocabulo *Gemblaus*, vbi præesse dignoscitur illustris Abbas Erluinus, quoddam iuris mei prædium in pago *Brainbant* in loco, qui dicitur *Dorp*, cum dimidia ecclesia, & cum vna camba, & sedecim mansis, & cum quodam homine nomine *Iser*, seu cum omnibus ibidem aspicientibus, cum domibus & ædificijs, campis, terris, tam cultis quàm incultis, siluis, pratis, pascuis, communibus & paruis, aquis aquarumue decursibus, mobilibus, & immobilibus, præsidijs, peculijs, omnia & ex omnibus, quidquid in Episcopio nostra videtur possessio vel dominatio, rem exquisitam & inexquisitam, totum ad & integrum, tam de allodio, quàm de comparato, seu de quolibet attractu ad nos ibidem dignoscatur peruenisse, de nostro iure & dominatione, iam dicto monasterio per hanc chartulam donationis, siue per festucam, ad opus Sanctorum, quorum mentionem supra fecimus, à die præsentis donamus, tradimus atque perpetualiter in omnibus transfirmamus.

Ea verò ratione, vt præceptores prædicti monasterij ab hac die hoc habeant, teneant atque possideant, vel quidquid inde facere voluerint, liberam ac firmissimam, Christo propitio, in omnibus habeant potestatem. Et si quis deinceps (quod futurum esse non credo) si ego ipse, quod absit, aut quisquam de heredibus, vel proheredibus meis, seu quælibet externa persona, quæ contra hanc chartulam donationis venire aut calumniari eam præsumpserit, & se



exinde non subtraxerit, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ excommunicatus & dinisus existat, & insuper in die tremendi iudicij propter hoc rationem reddat. Contra quem verò calumniam intulerit, auri uncias centum, argenti verò libras CCC. coactus exsoluat, & quod reperit, nullo modo euindicare præualeat, sed præfens hæc donatio, meis, & me rogante, bonorum hominum manibus roborata, quorum nomina vel signa subter tenentur, inserta stipulatione, subnixæ per diuturnum tempus maneat inconuulsa.

Signum Goëteranni Aduocati.

S. Fulquini & reliquorum.

OTTO REX. CVNO DUX.

FARABERTVS Episcopus.

Aletrannus Cancellarius.

### NOTATIONES.

RICHARIVS) Tungrensis seu Leodicensis Episcopus, S. Petri basilicam in vrbe Leodicensi, à Normannis destructam instaurauit, & an. 935. Canonicos XXX. in ea constituit, obiitque an. 946.

FARABERTVS) itidem Leodicensis Episcopus, an. 948. Synodo in Eglehem, Agapiti Papæ iussu congregatæ, cum Fulberto Cameracensi Episcopo interfuit, & an. 953. viuere desijt. Cui Bruno Archiepiscopus Colonienfis Ratherium monachum Laubiensem suffecit.

S. EXUPERII) Vexilliferi, ex legione Thebæa, reliquiæ sacre ad Gemblacense monasterium, Othonis I, Imp. temporibus, sunt allatæ.

GEMBLAYS) siue Gemmelaus, hodie *Giblon*, opidum Ducatus Brabantia, olim Leodicensis, nunc Namurcensis diocesis, quod Arnulfus Abbas IX. Gemblacensis mœnibus cinxit. Abbas porro Gemblacensis gaudet titulo Comitæ à multis retrò sæculis, & in publicis Ordinum Brabantia comitijs primum inter Nobiles locum obtinet. Quod S. GVIBERTI Comitæ ac fundatoris Gemblacensis memoriæ meritisque adscribendum existimo.

BRAIVIBANT) seu Braibant, seu pagus Brabantensis, posteriore æuò à ripa Scaldis vsque ad Velpam fluuium (qui in Gallo-Brabantia ortus Velpiam vicum perluit, & paulò infra Thenas Hasbania opidum iacere infunditur) extendebatur. A Septentrione Demera &



eo in se recepto, Thilia seu Dilia fluius terminabant: à meridie ad Sabim vsque excurrerat: vt Petrus Diuæus tradit in libro suo ms. De Gallia Belgicæ statu sub Francorum imperio. Olim Brachbantum seu pagus Brabantensis ( vnde Brabantia nostræ nomen ) non versus Gallo-Brabantiam, sed à Bruxella versus Alostanum Comitatum, Einhamum, Tornacum & Condatum, opida Scaldi ad sita, potissimum extendebatur: vt ex Sigeberti Gemblacensis Chronico liquet.

PER FESTV CAM ) seu terræ cespitem olim fieri solebat traditio fundi, quando is Ecclesiæ donabatur seu tradebatur. In eius memoriam etiamnum in quibusdam ecclesijs terræ cespites adseruantur, qualem me vidisse memini Traiecti ad Mosam in sacrario ecclesiæ S. Seruatij.

OTTO REX.) Designatur Otho I. Imperator, qui & Rex Lothariensium in diplomate præcedenti nuncupatur. Ex quo datur intelligi, ab Henrici Aucupis Imp. æuo ( vt vulgò creditur ) non desisse titulum Regis Lotharingia: etsi suos tunc Duces Lotharingia habere cœperit.

CVNO) siue Conradus Lotharingia: vniuersæ Dux fuit, Othonis I. Imp. gener, qui contra Hungaros fortiter dimicans, an. 957. occubuit. In Ducatu successit ipsi Bruno Archiepiscopus Colonienfis, eiusdem Othonis I. frater. Stemmata Principum Belgij, à nobis an. 1626, Bruxellis edita, consule.

## C A P V T. X I X.

*Sigifridus Comes castellum Luziliburgum, in pago Arduenna situm, à VVikero Abbate S. Maximini Treuerensis, titulo permutationis, anno 963. acquirit, inde dictus primus Comes Luziliburgensis seu Luxeburgensis.*

**I**N nomine vnigeniti Filij Dei. Notum sit omnibus populis, in Christum credentibus, tam præsentibus quàm venturis, clericis atque laicis, quòd SIGIFRIDVS Comes, de nobili genere natus, castellum quod dicitur LVZILINBURCH in proprietatem desiderans adipisci, perrexit ad D. Brunonem Archiepiscopum, fratrem videlicet



delicet Imperatoris Ottonis, qui tunc principatum totius regni post ipsum tenebat, ei que suum desiderium manifestavit.

Cuius scilicet Archiepiscopi accepto consilio, & impetrata licentia ab eo, venit ad Abbatem Wikero & ad reliquos S. Maximini monachos, in quorum pradio idem castellum fuerat positum, petens ut ei liceret cum suo allodio illud commutare. Quod Abbas libenter, una cum fratribus, consentiens, placuit atque convenit inter eos, ut res per ambarum partium oportunitatem commutarentur.

Dedit itaque prefatus Comes ad S. Maximinum de rebus sue proprietatis, legali traditione, in Comitatu Gisilberti Comitis, in pago Arduennæ, villam quæ dicitur Viulna, cum servis, censualibus, & omni ipsius villæ integritate.

Acceptit autem à predicto Abbate, consentiente monachorum congregatione, supranominatum castellum cum exitibus & redditibus, & omnibus terris, ab alveo fluminis Alluntia, usque ad illos veteres truncos, qui stant ante munitionem eiusdem castelli, secundum quod protenditur in longum & latum.

Igitur posita est hæc eadem munitio in pago *Meisingovo*, in Comitatu Godefridi Comitis, super ripam Alluntia fluminis.

Factum est itaque concambium istud ea constitutione, ut utraque persona, Abbatis videlicet & Comitis, ex eo quod accepit, habeat in perpetuum liberam & aptam potestatem tenendi, tradendi, vendendi, vel quidquid voluerit ex inde facere, absque ullius hominis contradictione.

Acta est namque hæc traditio, siue etiam mutatio, publicè in civitate Treuirensium, in monasterio memorati patroni S. Maximini, in die Palmarum, xv. Kal. Maij, adstante Abbate Wikero, simulque Hilderado eiusdem cœnobij Aduocato, & alijs quam plurimis testibus, monachis, Canonicis, atque laicis.

Signum Domini BRUNONIS Archiepiscopi, qui hoc concambium legaliter fieri iussit.

Signum Henrici Treuironum Archimandrite, qui consilio istius rei per omnia interfuit.

S. Afolfi Præpositi.

S. Rainvoldi Decani.

S. Sandradi Cellerarij.

S. Ada-



- S. Adalungi monachi.
- S. Christiani monachi.
- S. Gerberni monachi.
- S. Hirimberti monachi.
- S. Willeri monachi.
- S. Volmari monachi.
- S. Hiltradi monachi.
- S. Warneri monachi.

*Item nomina laicorum.*

Signum FRIDERICI Ducis Lotharingæ, cuius consensu & collaudatione opus illud peractum est.

- |                   |                |
|-------------------|----------------|
| Signum Liuthardi. | S. Nortperti.  |
| S. Sarachonis.    | S. Adalberti.  |
| S. Geisonis.      | S. Tancredi.   |
| S. Anselmi.       | S. Walteri.    |
| S. Harperni.      | S. Ruotperti.  |
| S. Thietperti.    | S. Thietfridi. |

Facta est igitur huius chartæ conscriptio, anno Dominicæ incarnationis DCCCC. LXIII. Indictione VI. regni Ottonis III. & patris sui Cæsaris principatum tenentis II. 963.

NOTATIONES.

Diploma seu instrumentum istud publicum ex ms. codice Abbatæ S. Maximini Treuerensis fideliter descripsi, ut & alia non pauca huc facientia.

SIGIFRIDVS) primus Comes Luxeburgensis, cuius filius fuerit, & quem in dicto Comitatu habuerit successorem, certò non constat: quod monendum duxi, ne quis Nicolai Vignierij, Ioannis Bertelij, & similium narrationibus decipiatur.

BRVNO) Colonienfis Archiepiscopus & Archidux Lotharingæ, (vt ipsum Sigebertus Gemblacensis in Chronico nuncupat) Ottonis I. Imperatoris frater, potenter illo tempore in Lotharingia imperabat, obiitque anno 965.

S. FRIDERICI) Ducis primi Lotharingæ superioris seu Mosellana,

F



lanæ, à Brunone Archiepiscopo iam laudato constituti anno 958. vt Flodoardus in Chronico suo commemorat. Vide Stemmata nostra Principum Belgij cap. 12.

## CAPVT XX.

*Otho I. Imp. monasterio S. Petri in monte Blandinio, prope Gandauum, an. 966. dat immunitatis priuilegium, interueniente Adelbeide coniuge.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. OTTO diuina fauente clementia Imperator Augustus. Quoniam Regiæ vel Imperatoriæ dignitatis officium esse constat, vt monasteria vel loca Deo & Sanctis eius dicata, ob diuini cultus augmentum, nouis semper auctoritatibus roborentur, idcirco notum esse volumus omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm futurorum industria, qualiter venerabilis Abbas Womarus Blandiniensis cœnobij nostram adiit Serenitatem, rogans vt more antecessorum nostrorum, Regum scilicet vel Imperatorum, rebus vel proprietatibus monasterij sui, infra regni nostri terminos constitutis, immunitatis vel defensionis nostræ brauium concederemus, hocque nostræ auctoritatis præcepto roboraremus.

Nos verò interuentu dilectæ coniugis nostræ ADELHEIDIS, fidelisque Archiepiscopi nostri Wilhelmi, ob spem diuinæ remunerationis, pro statu & incolumitate regni vel Imperij nostri, filijque nostri carissimi Regis Ottonis, piæ illius petitioni assensum tribuimus, & vt res vel possessiones præscripti Blandiniensis cœnobij, infra regni nostri terminos constitutæ, Dulciacum scilicet in pago Haynau, & Crombrugga, in pago Brabantensi, quam villam cara nostra soror Gerbergis Regina, monachis, ob remedium animæ fidelis Comitissæ suæ reddidit Arnulfi, sub perpetua immunitatis nostræ tuitione esse volumus.

Ita vt nullus noster Comes, aut Iudex, aut Vicarius aut publicus fisci exactor, vel Aduocatus, vel alius aliquis prænominatas villas ingredi audeat, ad fredas exigendas, vel paratas faciendas, vel hominibus præscripti cœnobij inibi habitantibus distractionem ingerendi, vel aliud quid potestatis exercendi, licentiam aut potestatem habeat,



habeat, nisi Abbas & Aduocatus, quem sibi ipsi vultem & necessarium elegerit.

Et vt hoc auctoritatis nostræ preceptum firmum & stabile permaneat, hanc chartam conscribi fecimus, quam & propria manu subtus firmauimus, annulique nostri impressione signari iussimus.

Signum Domini OTTONIS, magni & inuictissimi Imperatoris Augusti,

Luidolphus Cancellarius, ad vicem Wilhelmi Archicapellani, recognoui.

Datum XI. Kalend. Februarij, anno Dominicæ Incarnationis 966. DCCCC. LXVI. Indictione nona, anno regni Domini Ottonis XXXI. Imperij verò III.

Actum Traiecto, in Dei nomine feliciter, amen.

### NOTATIONES.

OTHO I. Imp. patri suo Henrico Aucupi, an. 936. die 2. Iulij defuncto, in regnis Germaniæ & Lotharingiæ successit. Anni 962. initio, Romæ à Ioanne Papa est coronatus Imperator; vt Regino & Flodoardus testantur. Obijt an. 973. die 7. Maij.

Successit OTHO II. filius eius, iam ante, petente patre, ab eodem Ioanne Papa Romæ Rex & Cæsar coronatus; videlicet sub finem anni 967. vt idem Regino narrat. Ab ista coronatione, anni tam regni quàm Imperij Othonis II. deducuntur in diplomatibus.

WOMARVS ) idem, fuit Abbas S. Bauonis Gandensis; vt ex diplomate Othonis II. colligi videtur, quod in Codice donationum piarum cap. 39. produxi.

### CAPVT. XXI.

*Lotharius Francorum Rex, petente Emma coniuge, an. 976. villam Aines restituit Iudithæ Abbatisse Marchianensi.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. LOTHARIVS misericordia Dei Francorum Rex. Si seruorum Dei utilitatibus subueniendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudinem fore, nullo modo ambigimus.

F 3

Qua-



Quapropter nouerit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium quam & futurorum industria, quod carissima coniux nostra HEMMA, adiens nostram præsentiam, humiliter deprecata est, ut quandam villam, nomine *Aines*, quæ tempore Arnulfi Comitis, sororibus & fratribus in cœnobio S. Rictrudis degentibus, iniuste sublata fuerat, ob remedium nostrarum animarum, seu antecessorum nostrorum præcedentium, iam dicto cœnobio redderemus.

Cui assensum præbentes, more prædecessorum nostrorum Regum, reddimus atque concessimus prædictam villam *Aines*, in integrum cum omnibus ad se pertinentibus, ut deinceps habeant, tam Abbatissa Iudith, quam prædictæ sorores, nec non fratres ipsius monasterij S. Rictrudis, potestatem faciendi quicquid voluerint, sine vlla nostra, successorumque nostrorum prohibitione.

Et si quis eis per quoduis ingenium auferre quæsiuerit, iram Dei omnipotentis, & beatæ Rictrudis, Sanctorumque omnium incurrat, libras verò auri persoluat C. medietatem Camerae nostræ, medietatem verò prædicto monasterio.

Et ut firmitus maneat hoc, inconvulsamque seruetur, manu propria subtersignauimus, & annulo nostri palatij iussimus insigniri.

Signum domini Lotharij gloriosissimi Regis.

Adalbero Notarius, ad vicem Domni ADALBERONIS Archiepiscopi, summi que Cancellarij, recognouit & subscripsit.

Anno  
976.

Actum Doacense castello, anno Domini Incarnationis DCCCC LXXVI. regnante domino Lothario, anno XXII. feliciter.

## NOTATIONES.

De Marchianensi monasterio ad Scarpum fl. tertio lapide à Duaco, à S. Rictrude fundato (quod olim vtriusque sexus fuit) vide Origines nostras Benedictinas, & supra cap. 16

LOTHARIUS) Francorum Rex, frater fuit CAROLI Lotharingæ nostræ Ducis ab Othone II. Imp. an. 977. creati, & an. 986. viuere desijt. Vxorem habuit Hemmam, siue Emmam.

ARNULFI) Comitis Flandria.

AINES)







dedit eis in villa Marcolo, vsque ad fluuium Satis: in ipsa villa molendinum vnum, situm coram manso Ecclesiastico, & decimas quatuor molendinorum, quas Præsul Engramnus eis contulit.

Simili modo mansa duo in iam prædicta villa, & sedes duas in terra arabili, & bonaria xxiv. ad opus fratrum ipsius loci, medietatem etiam *Camina* datam ab Andremaro Præposito ipsius loci: vt habeant firmiter, & perpetuo, nemine inquietante, possideant; ea scilicet ratione, vt cunctis diebus vitæ eorum, pro nobis & totius regni statu militare iugiter satagant.

Et vt hæc nostræ corroboracionis concessio plenissimum obtineant stabilitatis vigorem, manu propria subter firmavimus, & annuli nostri impressione assignari iussimus. Datum Lauduni clauati anno 977.

### NOTATIO.

MAREOLVM) est Canonicoꝝ regularium Abbatia, apud Atrebatens sita: in qua adseruantur ossa S. Bertiliz virginis, iussu Gerardi II. Cameracensis & Atrebatensis Episcopi, e terra an. 1081. eleuata. Fastos nostros Belgicos 3. Ianuarij lege.

### CAPVT XXIII.

*Godefridus Comes Viridunensis & Eihamensis, eiusque uxor Machzildis an. 979. Holinium, Lesdenium, aliaque prædia donant Blandiniensi S. Petri monasterio, iuxta Gandauum sito.*

**C**VM plurima salutis remedia constet, larga Deificę pietatis miseratione, prouisa omnibus sanctę matris Ecclesię filijs, in hac conualle plorationis, spem supernę beatitudinis suspirantibus, id felix & omni laudis præconio dignum inter diuina probatur negotia commercium, per quod valet quisque fidelium perituris temporalium rerum facultatibus æternas celestis regni conquirere diuitias.

Auctor siquidem celi & terrę Iesus Christus, ad huius sanctę negotiatio-



gationis studium, fideles in sacro exhortans Euangelio, sic salu-  
tari cunctis intonat voce: *Thesaurisate vobis thesauros in celo.*

Hęc ego GODEFRIDVS gratia Dei Comes, & vxor mea MACH-  
TILDIS, sollicita mente pertractantes, æternique flagrantes amore  
premijs, cupientesque aliquantulam beatitudinis portionem conse-  
qui cum illis, qui terrena sua patrimonia ad cęlestes transtulerunt  
thesauros, hoc nobis salubre visum est, vt ex bonis à summo om-  
nium rerum distributore clementer concessis, tam nobis quàm  
prædecessoribus nostris aliquod salutis remedium procuremus.

Ideoque ad monasterium, vocabulo BLADINIVM, in primor-  
dijs ab Apostolico patre sanctissimo Pontifice Amando constru-  
ctum, atque in honore principis Apostolorum beatissimi Petri &  
doctoris gentium Pauli consecratum; processu verò temporis, ab  
Arnulpho excellentiori à fundamentis extructo ædificio, vt in-  
tuendum patet oculis: in quo Dominus Abbas Womarus non mo-  
dico regularium collegio monachorum industrius pastor præesse  
videtur.

Ad hoc ergò monasterium, pro remedio animæ nostræ filiorum-  
que nostrorum, donamus Deo ac S. Petro, cęlestis regni clauigero,  
res nostras perpetuò, hoc est, fiscum Holinium dictum, situm in pa-  
go Tornacensi, cum ecclesia in honore S. Martini & omnibus ad  
se pertinentibus, id est Ramelgien ecclesiam, cum terra ad se perti-  
nente, quod est mansum vnum & Spetemule, Idelandi mansum,  
Lesdenium, Nouamque Villam, & quidquid pars fisci spectare vi-  
detur in circumiacentibus pascuis, pratis, siluis, aquarumque de-  
cursibus.

Hęc igitur omnia à præsentis in futurum iugi æuo possidenda, ego  
Godefridus & vxor mea Machtildis, in ius & potestatem ipsius  
loci, tradimus & transcribimus, & ipsis Dei famulis, regularis vitæ  
studijs, sub monachali habitu, in eodem cœnobio Christo famu-  
lantibus, donata atque firmata esse volumus; quatenus hæc absque  
vllius refragatoris inquietudine, vel cõtradictione habeant, teneant,  
possideant, proprijs necessitatibus & stipendijs, quò liberiores in  
exequendis valeant esse mandatis, secundum sancti patris *Benedi-  
cti* regulam sibi traditis, atque pro nobis & nostris prædecessoribus  
deuotius Domini misericordiam implorent.

Si quis verò de omnibus successoribus nostris, heredibus aut pro-  
heredibus,



heredibus, peruersus contradictor, seu extranea qualibet persona, huic traditionis nostræ largitioni, intuitu diuinæ pietatis pactæ & firmatæ, iniquis refragationibus contraire voluerit, atque hanc aulæ nefario temerare præsumperit, præsumptuosa illius audacia nullum obtineat effectum: imò pro iniusta repetitione distringente, fisco auri libras centum, & argenti CCCC, coactus exsoluat; præterea quod repetit non euindicet; sed præsens donationis nostræ testamentum, nostra fideliumque roboratum astipulatione, stabile & inconuulsam perenni æuo maneat.

979.

Actum publicè in cœnobio Blandinio XII. Kal. Februarij, Indictione VII. anno XXVI. regni inclyti Regis Lotharij, & regiminis Abbatis Womari XXVII.

Signum GODEFRIDI Comitis, & conjugis eius MACTHILDIS, qui hanc traditionem fecerunt & firmari petierunt.

Signum ARNVLPHI gloriosi Marchisi iunioris.

S. HERMANNI Comitis, filij Godefridi Comitis.

S. domini Womari Abbatis.

S. Wigeri. S. Lietberti. S. Wicberti.

S. Ingelberti Aduocati.

S. Widonis Præpositi.

Ego quoque Rodulphus monachus vidi & chartam conscripsi.

## N O T A T I O N E S.

GODEFRIDVS) cognomento Captiuus (eò quòd an. 984. à Lothario Francorum Rege captus fuerit, teste Sigeberto) Comes Viridunensis & Eihamentis, ex *Machtilde*, Herimanni Saxonum Ducis filia, Balduini tertij Flandriæ Comitis vidua, quinque genuit filios, *Alberonem* Episcopum Viridunensem, *Fredericum* Comitem Viridunensem, *Hermannum* seu Henzilonem Comitem Dagisburgensem, qui huic diplomati subscripsit, *Godefridum* cognomento Improlem Lotharingiæ inferioris Ducem, & *Gothilonem* cognomento Magnum, Lotharingiæ superioris & inferioris Ducem, itemque filiam vnã, nomine *Ermengardem*.

De istis quinque filijs ita legitur in magno Chronico Belgico: Post mortem Othonis Ducis Lotharingiæ, Ducatus idem datur per Imperatorem Henricum huius nominis secundum, anno Domini  
M, VI.



M. VI. anno verò regni sui quarto, Comiti Godefrido Virdunensi, filio Godefridi Comitis Ardennensis, quem rexit annis XIV. Istius Godefridi Comitis Ardennensis fuit vxor Mechtildis Comitissa Saxonæ, quæ peperit ei Episcopum Virdunensem Alberonem, Comitem Fridericum S. Vitoni monachum, Comitem de Daburg Hermannum ( cuius fuit filius Gregorius Leodiensis Archidiaconus ) & duos Duces profapia inclytos, Godefridum istum & Gozelonem. Hactenus ex dicto Chronico per Pistorium edito.

Videntur autem ea desumpta ex Alberici monachi Chronico, quod is ab orbe condito vsque ad annum Christi 1241. conscripsit, nondum typis editum, quod sciam. Ceterum ex Godefridi Captiui filijs duo, videlicet *Fredericus & Hermannus* facti sunt monachi, Virduni ad S. Vitonum. De *Ermengarde*, eiusdem Godefridi filia, legatur historia S. Popponis Abbatis Stabulensis, apud Surium.

Obijt autem Machtildis an. 1009. in Blandiniensi monasterio, iuxta Godefridum maritum suum posteriorem sepulta: teste Meiero. His annecte, si voles, quæ Baldericus Tornacensis Episcopus in Chronico Cameracensi lib. 2. cap. 45. de tribus monasterijs seu templis Eihami ad Scaldim, prope Aldenardam Flandriæ opidum, per Godefridum Captiuum eiusque filium Hermannum fundatis commemorat.

## CAPVT XXIV.

*Hilzundis Comitissa Striensis, Ansfredi Comitis Huiensis, post Episcopi Vltraiectini, vxor fundat ac dotat an. 992. canobium Thorense, quod est illustre nobilium virginum Canonicarum collegium ad Mosam fl. in diœcesi Leodicensi.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego HILZONDIS Comitissa terræ de *Stryen*, sequi cupiens eum qui est sponsus virginum, de consilio domini mei Ansfredi, ecclesiam construxi, in alodio meo de *Thorne*, vbi ego & filia mea Benedicta, sub regula sanctæ obedientiæ, ita viueremus in hoc sæculo, vt mereamur in futuro, amictæ stolis albis, inter Angelos comparere, in districtu iusti Iudicis.

Itaque amicos mihi faciens de mammona iniquitatis, attuli ad dictam ecclesiam omne alodium meum, quod in terra mea de *Stryen* gloriosus Rex *Zuendiboldus* olim perdonauerat.

In primis ipsam ecclesiam de *Stryen*, quæ est consecrata in honore Mariæ virginis, Montē littoris, vbi beatissima Gertrudis corporaliter conuer-



conuersata est, & cellam habet à B. Amando consecratam; villam *Gilleyela* cum appendicijs, villam *Baerle* cum altari in honore sancti confessoris Remigij à me constructo, castellum *Sprundelheim* cum omni integritate, sicut situm est super fluuium *Moerwvater*; filiam ad porcos alendos, quemadmodum iacet inter duas marcas, cum omni iure, vvanecapio, teloneo, molendino, censu, pedagio & aquagio in pratis, siluis, agris, cultis & incultis, vvastinis, moris, humido, sicco, alto, basso, prout eadem ego Hilzondis Christi famula & parentes mei tenuerunt.

Non sit vllus Aduocatus, nisi quem fratres & sorores de Thorne cœnobij elegerint: & si quispiam maligno sensu, suadente diabolo, se intromiserit, condemnabit eum dominus mundi Cæsar, qui est legitimus cœnobij Aduocatus.

Adiuro quoque heredes . . . . . Stryenses dominos, per eum qui fuit & venturus est, ne vllam guerram aut malum ingenium faciant huic meæ donationi, sed filiam meam eiusque congregationem defendant in armis & iustitia. Qui secus fecerit, portionem habeat cum Dathan & Abiron: ne remittatur ei peccatum nec in hoc sæculo, nec in futuro. Fiat, fiat.

992. Datum apud Thorne anno nongentesimo nonagesimo secundo, Kalendis Iunij, Indictione IV. Testes fuerunt,

Ioannes Abbas S. Pantaleonis,  
F. Balduinus Præpositus de Dirha,  
G. Decanus.

*Et de militibus nostris,*

Franco de Dungha,  
H. de Emelberga,  
G. de Sandert, Castellanus noster,  
I. Dapifer.

*Et de ministerialibus Episcopi,*

Christophorus, Girardus, in Domino feliciter.

### NOTATIONES.

HILZONDIS) seu Hilfundis, fuit vxor Ansfredi seu Aufridi, qui ex Bratuspantium & Huiensium Comite factus Episcopus Ultraie-  
ctinus, an. 1008. viuere desijt. De eo Sigebertus in Chron. ad an.

997.



997. & nos in Fastis Belgicis 3. Maij, & in Codice donationum piarum cap. 41. & 43.

STRYEN) Comitatus seu territorium olim amplissimum, hodieque nomen retinet. Sub illo Comitatu quondam Mons S. Gertrudis & Breda, opida gentis Nassauia, in confinibus Brabantia & Hollandia sita, item *Baerle* municipium Campania Brabantina, & alica loca vicina comprehendebantur.

ZVENDIBOLDVS) Rex Lotharinga, an. 900. praelio prope Mosam fl. victus occubuit, conditus in Susterensi monasterio, quod est nobile virginum Canonicarum collegium, in Ducatu Iuliacensi.

MONS LITTORIS) hodie Mons S. Gertrudis, vulgò *Gertruden-bergh*, opidum in confinibus Brabantia & Hollandia, vt dixi, situm, captura salmonum celebre. Fuit olim patrimonium S. Gertrudis, qua Niuellense Canonicarum nobilium collegium, cum matre sua Iduberga, condidit, hortatu S. Amandi Tungrensis seu Traiectensis ad Mosam Episcopi. Idem Amandus vir Apostolicus cellam in Monte S. Gertrudis consecrauit; vt in recitato Hillsundis diplomate disertè traditur. Idem quoque burgi seu castri Antuerpiensis ecclesiam in honorem SS. Petri & Pauli construxit: vt tomo 1. Codicis donationum piarum cap. 6. ex Rothingi diplomate docui. Vt iure optimo Amandus Brabantia Apostolus nuncupandus esse videatur.

WASTINIS) id est, locis desertis ac vagis, Flandricè *Woeslynen*.

MORIS) id est, locis paludosis, vulgò *Moeren*; qualia hodieque plurima sunt in Campana Brabantia, ex quibus cespites fiunt, ad focum struendum. Sic & in occidua Flandria à Moris, seu paludibus Morini (quorum caput olim Teruana fuit, an. 1553. excisa) nomen traxerunt. Morinorum paludes duas primarias, inter Hondiscotam, Dunckercam, Furnas & Bergas S. Winnoci sitas, an. 1624. & 1626. Vincentius Cobergius Antuerpiensis, Architectus & Pictor celeberrimus, exhaustit, & exsiccatas in agros ac prata conuertit.

Fratres & Sorores de Thorne.) Canonicos & Canonicas Therenfes intellige. Est enim eo in loco duplex collegium, à Hillsunde fundatum.

IOANNES) Abbas S. Pantaleonis in vrbe Colonensi.



*Sigifridus Comes primus Lutzelburgensis, eiusque uxor Hadeuicha  
donant varias possessiones cœnobio S. Maximini Treue-  
rensis, anno 993.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Quoniam omni homi-  
ni necessarium esse pernoscitur, vt in hac vita positus de futuris  
piè meditetur, & rebus transitorijs lucra æternæ vitæ mercari con-  
etur, sacra exhortante scriptura, Honora Dominum de tua substan-  
tia, itemque, Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosyna extinguit  
peccatum.

Idcirco ego Sigifridus Comes, cum coniuge mea HADEUICHA,  
hac salutifera admonitione commonitus, ob remedium anima-  
rum nostrarum, liberorumque nostrorum, superstitum videli-  
cet seu defunctorum, tradimus domino sanctoque Maximino, qui  
in suburbio Treuironum requiescit, & cœnobitis, Deo prædictoque  
confessori sub regula S. Benedicti militantibus, quibus venerabilis  
Folmarus Abbas præesse videtur, in valle Alsfuntiensi, in villa Ma-  
risch, in Comitatu Ardennensi, regimini filij nostri HENRICI Co-  
mitis subiacenti, vnum videlicet mansum Neuelunc, & eius coniu-  
gis Rozelæ, successorumque suorum, altari S. Clementis, in eodem  
monasterio posito, vbi corpora nostra diem extremi examinis ex-  
pectabunt, Deo propitio.

Ita dumtaxat, vt idem Niuelongus, vel successores eius, omni  
anno quinque solidos probatæ monætæ persoluant ex eodem manso,  
ab omni deinceps seruitio libero seruii: quatenus benedictione &  
licentia venerandi Abbatis, sacerdos ibidem Deo psalmodiæ &  
Missarum celebraturus sacrificia, his Xenijs adiutus, pro ereptione  
animarum nostrarum exoret libentius.

Reliquas verò proprietatis nostræ possessiones, in eadem villa  
consistentes, in communem cœnobarum vsu, quidquid videli-  
cet vel concambio vel thesauro nostro acquisiuimus, tam in man-  
cipijs, quam in ædificijs, molendinis, siluis, pratis, pascuis, aquis,  
aquarumue decursibus, exitibus & redditibus, cum omni integrita-  
te, seruitio & censu, sicut eam hæcenus habuimus: excepto Raua-  
chone



chone & coninge & filijs eius, Luzone & filijs eius, & hereditate eorum.

Ea scilicet ratione, vt ego & coniux mea HADEVVICH, vsque ad terminum vitæ nostræ, idem prædium in vsum nostrum possideamus: post obitum verò nostrum, in vsum prædictorum cœnobitarum, absque vllius contradictione, pertineat.

Illud sanè omnimodis in Dei nomine rogantes, vt in anniuersario obitus mei, ex eodem prædio recordatio prædictis cœnobitis exhibeatur, in memoriam nostri. Ita enim rogamus atque obsecramus, ne Abbas vel aliquis eiusdem loci Prouisor alicui personæ ex eodem prædio aliquod beneficium accommodet: ne vt destructores eleemolynæ nostræ ab heredibus nostris, nostra permissione ad id commonitis, idem prædium perdant, nisi moniti resipiscant.

Si quis verò coheredum meorum (quod quidem fieri non credo) infringere voluerit vel tentauerit hanc nostræ traditionis largitatem, in primis iram Dei & S. Maximini incurrat, & quæ machinatur non efficiat, coactusque Thesaurario Regis C. libras auri, & M. talenta persoluat argenti.

Acta est hæc traditio publicè Treueris, in monasterio S. Maximini, coram HILDERADO, eiusdem monasterij Aduocato, astante venerabili Abbate Volcmaro, cum omni eiusdem loci congregatione, me Sigifrido Comite, & coniuge mea Hadevvich tradente, sub fideiussoribus, quos vulgò Saliburgiones vocamus, alio Hilderado, & Thiezelino, coram testibus Gozberto, Tancrado, Tietfrido, Durdone, Isenuardo, Walerammo, Wilerico, Imnone, Bertrammo, & multis alijs, anno Dominicæ Incarnationis D.CCCC.XCIII. 993. regno Ottonis tertij X. Indictione VI.

## N O T A T I O.

SIGIFRIDVS) Comes primus Lutzeburgensis, nisi fallor, hic designatur, quem supra cap. 19. laudauimus. Fuit ipsi vxor HADEVVICHA, & filius HENRICVS, Comes Ardennensis seu Arduennensis: vt ex diplomate iam producto colligi posse videtur.

Arduennæ porrò filuæ portio non exigua hodieque sub ditione Ducis Lutzeburgensi continetur.



## CAPVT XXVI.

Otho III. Imp. Herluino Cameracensi Episcopo concedit mercatum,  
itemque ius cudendæ monetæ in Castello Cameracesij, an. 1001.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. OTTO, superna fauente clementia, Romanorum Imperator Augustus.

Si locis diuino cultui mancipatis proprietates sublimare, atque honores augere studuerimus, id non solum laude humana prædicandum, verum etiam mercede diuina remunerandum scimus & verè credimus.

Vnde agnoscat multitudo omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm futurorum, quòd nos HERLUINO venerabili Episcopo, ob interuentum Leonis Episcopi & ceterorum, dedimus ius, fas atque licentiam faciendi, statuendi atque construendi mercatum cum moneta, teloneo, banno & totius publicæ rei ministerijs, in quadam proprietate sanctæ Cameracensis ecclesiæ, in loco qui vocatur Castellum S. Mariæ, quod vocabatur antea *Vendelgeias*, quod situm est in pago Cameracensi ac Comitatu ARNVLPHI Comitit.

Atque prædictum mercatum, monetam, teloneum, bannum, cum tota publica functione, in proprium concedimus sanctæ Cameracensi ecclesiæ, tali tenore, vt nullus Dux, Marchio siue Comes, seu aliquis homo vllam potestatem habeat super memoratum mercatum, nisi cum licentia Herluini Episcopi suorumque successorum.....

1001. Data XI. Kal. Maij, anno Dominicæ Incarnationis millesimo primo, Indictione XIV.

## NOTATIO.

De Castello S. Mariæ ( quod nunc est opidum Episcopi Cameracensis, & Castellum Cameracesij, *Chasteau en Cambresy* vulgò nuncupatur ) item de vico *Vendelgeias* vide tomum I. Codicis donationum piarum cap. 47. & Baldesici Chronicon Cameracense.

CAP.



## CAPVT XXVII.

*S. Henricus, eo nomine secundus Imperator, Erluino Episcopo  
Cameracensi, eiusque successoribus, donat Comitatum  
Cameracensem, anno 1007.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HEINRICVS diuina clementia fauente Rex. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, notum fieri volumus, qualiter nos, tam animæ nostræ consultu, quàm venerabilis Heriberti Archiepiscopi Colonienſis interuentu, Chameracensi ecclesiæ, in honore S. Mariæ constructæ, Comitatum Chameracensem, hac nostræ auctoritatis præceptali pagina, prout firmissimè potuimus, in proprium donauimus.

Præcipientes igitur, vt prælibatæ sedis venerabilis ERALVVINVS Episcopus, suique successores, liberam dehinc habeant potestatem, eundem Comitatum in vsu ecclesiæ supra dictæ tenendi, Comitatem eligendi, bannos habendi, seu quidquid sibi libeat, modis omnibus inde faciendi.

Et vt hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis & inconuulsa permaneat, hanc chartam inde conscriptam, manu propria roborantes, sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum domni HEINRICI Regis inuictissimi.

Eberhardus Cancellarius, vice Willegisi Archicapellani, recognouit.

Data XI. Kalendas Nouembris, Indictione V. anno Dominicæ 1007.  
Incarnationis M. VII. an. domni Henrici secundi regni VI. Actum  
Aquisgranensii palatio feciliter, amen.

## NOTATIONES.

Diploma istud ex autographo primus edidit Georgius Coluenerius, Doctor Theologus & Cancellarius Duacensis, in suis Notis ad Balderici Tornacensis Episcopi Chronicon Cameracense, lib. 1. cap. 119.

ERALVVINVS) aliàs Erluinus, seu Herluinus Episcopus Cameracensis



racensis & Atrebatensis an. 1012. decessit, succedente Gerardo eo nomine Primo.

Ceterum an Episcopo, an verò ecclesiæ Cameracensi datus fuerit Comitatus Cameracensis, Nicolaus Euerardus, Præses Mechliniensis, in suis Consilijs disputat.

Cameracensis porro Antistes istis hodie titulis vtitur: N. Archiepiscopus & Dux Cameracensis, S. R. I. Princeps, Comes Cameracensis.

COMITEM eligendi) Lector curiosus notet, olim Lotharingæ superioris & inferioris, adeoque Belgicæ nostræ Episcopos habuisse ius eligendi & constituendi Comites in suis ciuitatibus, qui ius gladij exercebant. Hinc Comites Cameracenses, Atrebatenses, Treuerenses, Metenses, Viridunenses, Tullenses, & alij qui passim in medijs historijs occurrunt.

Colonæ Agrippinæ etiamnum Comes, *Greue*, ab Archiepiscopo constitui solet, qui ius gladij exercet.

Insolescentibus postea Comitibus (vt de Cameracensibus Baldericus in Chronico testatur) Episcopi plerique Comitatum dignitatem ac titulum ad se traxerunt. Hinc Tullenses, Viridunenses, & alij Episcopi hodieque Comites nuncupantur.

#### CAPVT XXVIII.

*Idem S. Henricus Imp. Aquisgranense Canonorum S. Adelberti collegium an. 1018. fundat ac dotat.*

**Q**uoniam indubitanter scimus in conspectu Dei placere Sanctorum loca instituere & sublimare, spe diuinæ remunerationis, pro remedio animæ nostræ, coniugisque nostræ dilectæ *CYNEGYNDIS* videlicet Imperatricis Augustæ, nec non parentum nostrorum, tum etiam pro confirmando sub diuina protectione regni nostri statu, ecclesiam in honore S. *ADELBERTI* martyris & Episcopi, in monte contermino sedi nostræ Aquensi, à nobis fundatam, omni libertate donamus, eidemque ecclesiæ omnem possessionem, quæ est infra murum, quæ dicitur *Bruell*, cum arcibus, ædificijs, agris, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus, redditibus,

vijs



vijis & inuijs, seu cum omni vtilitate, quæ vllatenus vel nominari vel scribi possit, tradimus . . . . .

Anno Incarnationis Domini millesimo decimo octauo, Indictione prima, regni nostri decimo septimo, Imperij autem quinto. 1018.  
Actum Aquisgrani feliciter, amen.

## N O T A T I O N E S.

Aquisgrani duo sunt Canoniorum collegia *Marianum*, & *Adelbertinum*. Prius Carolus Magnus Imp. fundauit, & in basilica rotunda, quam in palatio suo ibidem in honorem Deiparæ construxerat, residere voluit. Dotem postea auxit Otho primus Cæsar, vt & numerum Canoniorum ampliorem fecit Notgerus Leodicensis Episcopus; in qua diocesi sitæ sunt Aquæ Grani.

Palatium porro Aquisgranense Godefridus & Sigefridus Normannorum Reges an. 882. incenderunt & vastarunt: vt Sigebertus in Chronico testatur. Capella autem seu basilica, à fundamentis per Carolum cum peristylijs solidissimè constructa, hodieque perstat forma rotunda, columnis marmoreis, fornice concamerato, cum cancellis ac portis æreis, alijsque ornamentis, quæ Eginhartus in eiusdem sui Principis & heri vita describit: vt coram aliquando, cum admiratione spectantes, obseruauimus.

ADELBERTINI templi, quondam extra, nunc intra muros Aquisgranenses in rupe siti, fundamenta Otho III. Cæsar (cuius tumulus in Mariana basilica iam laudata visitur) suo ære posuit: S. Henricus ædificium perfecit, & Canonicos amplis prædijs dotauit; ex quibus multa in confinibus Brabantia & Zelandia, tertio lapide ab Antuerpia, circa *Batzen toren* aquis absorpta perierunt; vt & dicta *Batzen toren*. turris: quæ medijs in aquis, haut procul à Lilloa, velut specula eminebat, sed marinis fluctibus exesa ante paucos annos concidit. Erit tamen, vt spero, aliquando, cum amplum istud olim terrarum spatium, alluionibus auctum, posteritas ab Oceani fluctibus vindicabit, Aquisgranensium, Antuerpiensium, & aliorum bono.

S. CYNEGYNDIS ) Augusta, S. Henrici II. Cæsaris coniux, & virgo, an. 1040. ad meliorem vitam transijt, Bambergæ condita in Benedictinarum cœnobio à se condito. De utroque, vt & de S. Adelberto, in Martyrologij Rom. Fastis legitur.

H

CAPVT



## CAPVT XXIX.

*Inter ecclesiam cathedralem Bellouacensem, & Abbatiam S. Vedasti  
in Artesia, Societas fraterna circa an. 1023. firmatur,  
diplomate VVarini Bellouacensis Episcopi.*

**I**N nomine summae & indiuiduae Trinitatis, Patris & filij & Spiritus sancti. ROBERTVS Rex Franciae proceres suos certa de causa in palatio Compendij conduxerat, quod ad eum Romanorum Imperator HENRICVS Gerardum Cameraci Episcopum, & Richardum Viridunensem Abbatem, legationis gratia, miserat.

Aderat ergo Comes Flandriae BALDVINVS HONESTA BARBAE, cum quo venerabilis vita Leduinus Abbas caenobij B. Vedasti, vir plane dignus omnium bonorum dilectione, Vbi etiam ego Warinus, Beluacensis sedis Episcopus, meo bono omine, interfui, cum ibidem tanti viri notitiam, & sacrae societatis praesidium parauerim mea indignitati.

Communicato enim cum sancto viro sermone, nihil ab eo visum est optabilius exposcere, quam suam societatem, & sanctae Ecclesiae sibi commissae: quam ipse cum summo caritatis affectu, mihi & omnibus de Ecclesia B. Petri filijs, Episcopalis scilicet sedis, concessit, suppliciterque, ut & ipse meam & Ecclesiae nostrae societatem & beneficium mereretur, expetijt. Sic vnita alternarum Ecclesiarum fraterna societate, visum est mihi hanc sanctae societatis pactioem confirmare memoriali caritatis pignore.

Ipsa Ecclesia scilicet S. Vedasti in Episcopio nostro villam Angicore habere noscitur, nosque altare ecclesiae ipsius villae possidemus. Ipsius ergo altaris tertiam partem, pro nostra successorumque nostrorum salute, ecclesiae praedicti Sancti contribuimus; utque ex reditu tertiae illius partis vinum ad celebrandas Missas eidem ecclesiae administraretur, constituimus. Ab ecclesia autem Episcopali iuri nullam consuetudinem persoluendam statuimus, vel statui permitimus, nisi ut in Synodo denarij octo, pro obsonio, in anno persoluantur.

Et ne quis hoc perfunctorie fieri vquam commentetur, Episcopalis sigilli obliuatione, inconuulse in posteros perpetuamus.

Intermi-



Interminamus insuper Episcopali auctoritate, ne quis hoc mutare, vel de his remouere aliquid praesumat, vel causas innectendo, Ecclesiae damnum moliat, vel inferat. Negligenti hanc nostram interminationem, gehennales poenas minando, indicimus; sicut e diuerso, conseruanti beatitudinem veram optamus.

Vt ergo posteris clareat, nos super hoc negotio, multorum probabilium communicasse & ex eorum hoc egiisse consilio, quos adesse contigit, & attestatione hoc fieri, testium nomina subnotamus.

Signum ROBERTI Francorum Regis gloriosi, cuius consilio & approbatione actum est.

S. HENRICI filij eius.

S. BALDVINI, Comitis Flandriae, HONESTAE BARBÆ.

S. Richardi Normannorum Comitis, & Roberti fratris eius,

Archiepiscopi.

S. Rodulphi Comitis.

S. Drogonis. S. Rogerij.

S. Heylonis, S. Herlandi.

S. Burchardi, filij Burchardi de Monte morenciaco.

S. Fulconis Ambianensium Episcopi.

S. Gerardi Cameracensis Praesulis, & Richardi Viridunensium Abbatis, qui ibi causam legationis aderant.

S. Leduini Abbatis S. Vedasti.

S. Huberti Abbatis S. Luciani.

S. Walteri Cameracensis.

S. Burchardi Comitis.

S. Auberti Credulensis, & Willelmi fratris eius.

S. Balduini de Claromonte.

Ego Balduinus Cancellarius perlegendo subscripsi.

Acta sunt haec Compendio palatio, mense Maio, prima die mensis, Indictione VI. regnante serenissimo Rege Francorum Roberto, anno imperij sui XXIX.

## NOTATIONES.

Diploma istud à Warino Bellouacensi Episcopo, in fauorem Leduini Abbatis Vedastini, an. 1023. vel 1024. datum, exstat in archiuis eiusdem monasterij Vedastini.

H 2

ROBERT-



ROBERTVS) Francorum Rex an. 1032. obiit, succedente Henrico filio.

ROBERTVS) Richardi Normanniæ Ducis frater, fuit Archiepiscopus Rotomagensis.

RODVLPHVS) Comes de Crespy, id est, Valois.

BYRCHARDVS) eo nomine tertius, Dominus de *Montmorency, Escomen, Marly, Feullarde & Chasteau basset*: de quo fusè agit Andreas Quercetanus, amicus noster, in Historia genealogica gentis Montmorenciæ lib. 2. cap. 3.

CREDVLENSIS Aubertus) Gallicè de Creil.

## CAPVT XXX.

*Lileriense Canoniorum collegium ac templum in Artesia an. 1043. excitantur à Venemaro, illius opidi domino.*

**I**N nomine sanctæ Trinitatis, amen. Cùm inter cetera caritatis opera, eleemosyna teneat principatum, illa dignitate speciali præminere dignoscitur, per quam nouæ fundantur ecclesiæ, vel fundatæ reeditibus ampliantur.

Ego siquidem WENEMARVS, Dominus de Lilerijs, cum fratre meo Ingelramno, & matre mea Ransuide, concessu Balduini Flandriæ Comitis, ipso etiam Henrico Rege Francorum annuente, & domino Drogone Teruanensi Episcopo, ad mandatum domini Papæ Gregorij, cuius præsentiam, pro voto meo adimplendo, adij, laudante & confirmante, nouam matrem & Domini sponsam, sanctam scilicet ecclesiam; in proprio fundo, apud castrum de LIBERIS, in honore Domini nostri Iesu Christi, ac B. Mariæ Virginis, nec non sanctissimi confessoris ac Episcopi Audomari, construimus:

Vt per hæc & alia bona Deus auctor pietatis nostris iniquitatibus propitiatur; & qui pondere peccatorum nostrorum prægrauati, in sepulcro nostri fœtoris iacentes, lumen veritatis amisimus, per compunctionem nostri cordis, & largitionem nostræ possessionis, ad Solem iustitiæ caput erigamus. Actum anno M. XLIII.

NOTA-



## NOTATIO.

Lilerium, *Lilers*, opidum est Artesiæ, in quo etiamnum floret  
 Canoniorum collegium, à Wenemaro conditum.

## CAPVT XXXI.

*Eihamensis Benedictinorum Abbatia, ad Scaldim, prope Aldenar-*  
*dam Flandria opidum, à Balduino Pio seu Insulano, Flan-*  
*dria Comite, an. 1063. fundatur.*

**B**ALDVINVS gratia Dei Flandrensiū Princeps Walberto Ab-  
 bati, & successoribus eius salutem in Domino.

Rerum omnium principium & auctor Deus est, & vnus verè  
 Princeps & dominator. Is æterno consilio & altissima prouidentia  
 ita Rempub. ordinauit suam, vt etiam in cælestibus Angelis alij  
 præsent alij, & inter terrenos mortales alij principentur, subiecti  
 sint alij.

Nempe inuisibilem sui arbitrij deliberationem per visibilia ad-  
 ministrat officia Principum, qui eius vel placito, vel permissu ordi-  
 nantur ad potestatem, secundùm sacram diuinæ scripturæ doctri-  
 nam. Ad hoc leges institutæ, iura, vindictæ & auctoritates, qua-  
 rum rerum aut copia populi feliciter reguntur, aut inopia miserè  
 pessum dantur.

Cùm igitur nostra nihil horum nobis comparauerint merita, or-  
 dinante tamen diuina gratia, imperij principatum sortiti sumus  
 Flandriarum, & horum qui in circuitu sunt finium, atque ne secun-  
 dùm nostræ mediocritatis modum auctori vitæ nostræ & perfunctio-  
 nis ingrati reperiamur, tum cæteris Ecclesijs, tum & ei cui Te præ-  
 fecimus legaliter, sicut Abbates constituere ius est & mos, consu-  
 lentes, sedulo prouidemus, vt quod facimus ratum sit & firmum,  
 ô dilecte & fidelis noster Walberte.

Damus igitur tibi tum Abbatiam de ERHAM, tum etiam res, quæ  
 infra dicentur, solemnī dono, & hac pariter scriptura inuestimus,  
 vt post geminam inuestitura nihil sit, quod infirmare possit, &  
 chartæ huius auctoritas sit tibi & successoribus tuis & Abbatia



tua validissimum munimen, & defensio aduersus omnem vel manum vel linguam, in omni nostra terra & ditione, & vbiq; nunc, & vltra.

Damus porrò tibi, & scripto confirmamus Eiham antiquum castellum, sicut nos recepimus de manu HERIMANNI Comitis, & sicut nos hactenus quietè & solide tenemus, & aquam totam cum toto teloneo, & cum sex mansis de terra arabili, sicut sunt siti & positi, vel pariter vel separatim, pertinent tamen ad ipsum alodium: pasturam etiam totius cliui, id est, deuexi montis; quod ab orientali plaga, post æquiduum autumnale, ipsas ecclesias respicit, & extensum porrigitur in Austrum, & casuram, vbi frutera occurrunt ruricolis, ad ædificandas sèpes; dimidiam quoque decimam de ecclesia S. Vedasti de inferiori Eiham; ad Duysbekam tria curtilia vestita, & tres mansos de terra arabili, & dimidium; ad Marcam duo curtilia vestita, & octodecim bunarios de terra, & partim prato de eleemosyna Arnulphi; ad Syvalmam vnum curtile vestitum & octo bunarios terræ, cum dimidia aqua & dimidio molendino; ad Eppingenhem vnum curtile vestitum, & sex bunarios terræ; ad Busmarias quatuor curtilia, & quindecim bunaria inter terram & pratum cum terra Machelmi, quam tenet de eleemosyna vxoris meæ Adelæ: in Flandris quatuor ouilia instaurata pascuis, in loco videlicet qui Paradisus nuncupatur, nunc *Prouise* dictus, quem claudit Pledum, quod dicunt Holdfledum; in pago Atrebatensi ecclesiam de Afilogijs, cum omni decima, quæ ad ipsam ecclesiam pertinet, excepta ea, quæ altare sequitur; item de eleemosyna coniugis meæ.

Ex auctoritate igitur potestatis nostræ præcipimus per omnem terram nostram & ditionem, ne quisquam de his omnibus tibi aut sancto loco quidquam detrahere præsumat, vel sibi vllatenus mancipare. Et hoc itidem per bannum nostrum interminamus, quod si quisquam contra Deum & bannum nostrum facere præsumperit, pro banno, vel mihi, vel heredi meo duodecim marcas auri persoluet, restituens sancto loco, & tibi, vel successori tuo capitale; insuper pro suo commisso decem libris additis.

Actum apud Insulam, in præsentia magnatum nostrorum,

Abbatum,

Erckenbaldi Atrebatensis,

Fulconis.



Fulconis Corbeiensis,  
Bouonis de S. Bertino;

*Nobilium,*

Hugonis & Arnulphi de Aldenarda,  
Raingodi de Ganda, & Gerardi, & aliorum, anno ab In-  
carnatione Domini nostri millesimo sexagesimo tertio, Indictione 1063.  
prima, regnante Philippo annis iam duobus.

### NOTATIO.

Eihami prope Aldenardam, ad Scaldim, tria monasteria seu potius templa Godefridus cognomento Captiuus, Comes Viridunensis & Eihamensis eiusque filius Herimannus (cuius fit mentio in diplomate iam producto) fundarunt, ut Baldericus in Chronico Cameracensi commemorat, tria ista templa, cum castello Eihamensi, quod Balduinus Pius ab Herimanno Comite emerat, Benedictinis monachis idem Balduinus anno 1063. tradidit, condito ibidem monasterio, cui Walbertum, ex Vedastino cœnobio euocatum, Abbatem præfecit. De Herimanno plura vide supra cap. 23.

### CAPVT XXXII.

*Lietbertus Cameracensis Episcopus immunitatis priuilegium & alia largitur monasterio Eihamensi an. 1064.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti. LIETBERTVS gratia Dei Cameracensium Episcopus, presentibus loco & tempore, & futuris fidelibus, in Christo omnem salutem in æternum, & ultra.

Hominum genus, quod solum cum Angelis rationis honore præditum est, id maxime curabit rectè, ut Opificis sui laudem & gloriam magnificando, supplicij deuotione pepeniet, & fraternis profectibus. Atque hoc satis oportuno facimus modo, si ecclesias & monasteria, aut ipsi ædificamus, aut ædificatis tale administramus adiutorium, ut non deficiat in eis laus Dei de ore hominum, & Christianæ religionis sacer cultus, ynde mortales ad beatitudinem aspirant.

EA



Est igitur in territorio Bracbatensi locus, quem dicunt EIHAM, qui iam pridem satis floruerat sæculariter & membris & colonis, sed & ecclesiarum religiosa honestate. Verùm bello insurgente & inualescente, pompæ omnes interierunt, ecclesiarum venustas migravit; sed nondum ruina maceriat.

Comes præterea BALDVINVS, & religiosa eius coniux ADELA, diuino caritatis spiritu visitati, in eodem loco, pro pristina reuerentia ecclesiarum, ob suam suorumque perpetuam salutem, cœnobium ædificare cupientes, nostram adierunt mediocritatem, quatenus suum inceptum nostra adiuuaret hinc indulgentia, hinc auctoritas. At nos hanc petitionem iusta ratione vigere considerantes, ad gloriam diuinam, & nostram successorumque nostrorum, futurorumque seruiorum Dei in eodem loco, & omnium fidelium salutem, nihil difficile ad petita fuimus.

Indulsumus ergo cœnobio fratrum liberrimam ab omni parte quietudinem, vt nihil à loco, nihil ab Abbate, & à monachis & ecclesijs, quæ ibidem sunt, exigatur, nihil in loco & rebus eorum aliud aliquid ab aliquo disponatur & cogatur, nisi ab Abbate. Non quisquam ibi conuentus, non conuiuia, non placita celebret aut ordinet, non quidquam vetet, nihil quidquam quilibet iubeat. Et quoniam id diuinæ caritatis reuerentiæ nostra humilitas suppliciter concedit, vt nihil desit ad id quod intendimus; possideant omnia Abbas & monachi stabili iure, & sine omni perturbatione claustra sua & monasterium, exclusis omnibus personis penitus à dominatione & coactione eorum: & idem ius, quod beatus antecessor noster Vindicianus loco ter & amplius B. Vedasti concedendo **indulsi**, hoc idem nos imitando indulgemus Eihamensi cœnobio.

Mater quoque ecclesia, id est, B. Vedasti de inferiori Eiham, ab omni reditu & inquietudine quiescet; tantùm tres solidos in Pascha nobis persoluet, & Decanus noster, ex consensu Abbatis, ibi synodum in populum celebrabit.

Hic inuoco successores nostros & omnes fratres in Christo, vt in hac auctoritatis nostræ constitutione, nihil solui, nihil mutari, vel à se, vel ab aliquo vel patiantur vel permittant, obsecrati per sanctum & venerabile nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Quod si aliquis insana mente hæc aliquatenus negligenter accipit, vt saltem cogitet, horum quidquam soluere ad actum, hunc diuini



uini nominis formidanda auctoritate, & totius S. Ecclesie, sed & nostra, irrecuperabiliter damnamus, & ab omni consortio Sanctorum in hoc & in futuro saeculo excommunicamus, sicuti contemptorem diuinæ gloriæ, & ecclesiasticæ reuerentiæ inuasorem.

Eis porro qui seruauerint, & etiam augendo adiuuerint, optamus & oramus fructum perpetuæ beatitudinis in Christo, & vt ratum & incommutabile deinceps in omne æuum constet, idoneorum testimonium & auctoritas & subscriptio subiuncta est, quorum præsentia auditu & vsu omnia comprobant.

Signum Gerardi Præpositi & Archidiaconi.

S. Gerardi senioris & Archidiaconi.

S. Guidonis Archidiaconi.

S. Gualteri Archidiaconi.

S. Franconis Archidiaconi.

S. Guarmondi Archidiaconi.

S. BALDVINI junioris Comitis.

S. Otberti. S. Guiderici.

S. Gozvini. S. Hugonis de Sengin.

S. Gualteri de Lens.

S. Aleonis.

S. Hugonis, filij Willelmi.

S. Elberti. S. Christiani.

S. Abbatis Erchembaldi Atrebatensis.

S. Abbatis Alardi Laubacensis.

S. Abbatis Guirdrici de S. Gislano.

S. Abbatis Alberti de Maricolis.

Ego frater Gualbertus ex ore Episcopi legi & subscripsi.

Actum Cameraci in Synodo, anno ab Incarnatione Domini nostri M. LXIV. Indictione II. regnante Henrico anno XI. Præsulatus 1064. domini Lietberti anno XIV.

### NOTATIONES.

WALBERTVS) primus Abbas Eihamensis ex monasterio sancti Vedasti, vt dixi, accitus fuit: teste Meiero, in gestis anni 1063. quo Abbatia Eihamensis est instituta, iuxta versiculos ibi vulgares:

*Anno milleno, sexageno quoque terno,*

*Clastrum fundatur per te Balduine Eihamense.*

I

VINDI-



VINDICIANVS.) De priuilegio exemptionis, Vedastinæ Abbatiz, per Vindicianum Cameracensem Episcopum, vt scribunt, concessio, vide supra cap. 10.

## CAPVT XXXIII.

*Balduinus Pius, Flandriæ Comes, Arnulphum Aldenardensem Castellatum, eiusque successores constituit Subaduocatos monasterij Eihamensis, an. 1064.*

**B**ALDVINVS, per Dei clementiam, Princeps Flandrensium Walberto Abbati de Eiham, eiusque successoribus salutem. Quoniam ecclesia Eihamensis, cui præstis, à me, & à coniuge mea ADELA, præcipuè fundata de mensa nostra, beneficia, quibus monachi viuere debeant, accepit, dignum duxi Aduocatiam eiusdem ecclesiæ, in manu mea, & successorum meorum Comitum retinere.

Sed quia vicini eiusdem ecclesiæ nonnullas molestias ei inferunt, pro quibus ad nos sæpè recurrere vos oportet, nos verò circa curam nostri Principatus occupati, de singulis minutis rebus non valemus ad adiutorium vestrum venire, alia via aggressi sumus vobis consultum facere.

Igitur Arnulpho de Aldenarda, quia vobis vicinus est, iniungimus supplere vicem nostri, in paruis tantum negotijs, nobis maiora reseruantes. Quod vt oportunè & fideliter agat, vel ipse, vel quicumque, successorum eius Turrim Aldenardensem tenuerit, de redditibus rucolarum, hospitem, aliorumque mancipiorum ecclesiæ, pro quibus tuendis laboraturi sunt, centum solidos, per manus Abbatum, vel monachorum, annuatim eis dari decernimus; ea ratione, vt nec in ecclesia, nec in omnibus his, quæ ad ecclesiam pertinent, quidquam iuris, vel distinctionis ampliùs requirere præsumant.

Tanta enim libertatè ipsam ecclesiam donauimus, vt omnium hominum, & aliarum rerum, ad eam pertinentium, in tota nostra ditione, nullum alium Aduocatum præter me, vel heredem meum Comitem Flandriarum, esse decreuerim.

Si ergò præfatus Arnulphus, vel quisquam successorum eius, hanc constitutionem nostri priuilegij transgressus, bannum nostrum



strum infregerit, pro contemptu nostro, & temeritate sua, mihi, vel heredi meo XL. marcas argenti perfoluet, & Ecclesiæ, quod suum est, restituet.

Actum est hoc apud S. Audomarum, præsentem conjugem meam Adela, filijs meis Balduino & Roberto, Bouone Abbate S. Bertini, Hugone, Arnulpho de Aldenarda, Reingoto de Gand, anno Domini M. LXIII. 1046.

## NOTATIO.

ADELA) Roberti Francorum Regis filia, Balduino Pio Flandriæ Comiti duos filios genuit, Balduinum cognomento Montanum, & Robertum Frisium: quorum hîc fit mentio. De ijs vide nostra Stemmata Principum Belgij cap. 19.

## CAPVT XXXIV.

*Henricus IV. Imp. dona, per Comites Hollandos Ecclesiæ Ultraiectinæ ablata, eidem anno 1064. restituit, interuentu Friderici, Godefridi & Gerardi, Ducum Lotharingiæ.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS diuina fauente clementia Rex. Notum esse volumus omnibus in Christo fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, qualiter nos ea dona, quæ iniuste ablata fuerant sanctæ Dei Ecclesiæ Traiectensi à Theoderico Comite, eiusque filijs, tempore Adelboldi eiusdem sedis Episcopi, pro quibus & Imperator Henricus, & auus Conradus, & pater noster Henricus plurimum laborauerunt, plura bella fecerunt, nos quoque nostrique fideles multum laboris impendimus:

Notum, inquam, esse volumus, qualiter ea ob remedium animæ nostræ, & patris nostri Henrici, aliorumque antecessorum nostrorum, interuentu quoque & consilio Principum nostrorum, Annonis Coloniensis Archiepiscopi, Sigefridi Moguntini, Euerhardi Treuerensis, Athalberti Bremensis, Burchardi Halberstadiensis, Friderici, Godefridi, Gerardi, Ducum, aliorumque nostrorum fidelium, nec non ob fidele seruirium Vuilhelmi, eiusdem sedis Episcopi, reddimus & restituimus, & regali auctoritate eidem sanctæ Ecclesiæ confirmamus.

I 2

Data



1064. Data V. Nonas Maij, anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo quarto. Actum Werda.

## NOTATIONES.

FRIDERICVS) Dux Lotharingiæ inferioris, in ordine sextus, hoc ipso anno 1064. obiit, non relicta prole mascula.

GODEFRIDVS) Barbatus senior, primùm Dux fuit Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ. Ab Henrico Imp. ob rebellionē an. 1047. Ducatu priuatus, in Italiam se contulit, ibique *Beatricem*, Frederici II. Ducis Mosellani filiam, Bonifacij Tusciæ Marchionis viduam, matrimonio sibi iunxit. Ex Italia demum redux, in gratiam Henrici Imp. quoque redijt, & Frederici iam nominati Ducatum Mosellanum ab eodem Imperatore obtinuit. Itaque anno 1064. neutrum Ducatum Lotharingicum tenuit. Dux tamen nominatur in diplomate, ob Ducatum Lotharingiæ inferioris possessum, & ob Ducatum seu Marchionatum Tusciæ in Italia acquisitum, ratione matrimonij cum Beatrice contracti.

GERARDVS) Alsätius an. 1048. ab Henrico III. Imp. creatus est Dux Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ, & an. 1070. obiit. De Ducibus istis plura qui volet, Stemmata Principum Belgij à nobis edita consulat.

## CAPVT XXXV.

*Lietbertus Cameracensis Episcopus Abbatiam S. Sepulcri (quæ est est Benedictinorum, olim extra, nunc in vrbe Cameracensi) anno 1064. fundat ac dotat.*

**I**N nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. LIETBERTVS Cameracensis Ecclesiæ Episcopus, dilectis successoribus suis Episcopis, & omnibus Christi fidelibus prosperos vtriusque vitæ successus.

Temporibus prædecessoris mei domni GERARDI sanctæ memoriæ Episcopi, exorta fames in regionibus nostris aded inualuit, vt morientium corpora capere non valerent ecclesiastica cœmeteria Cameracensis vrbs.

Incidit igitur huic prædecessori meo rationabile consilium, vt  
extra



extra muros ciuitatis fodere faceret polyandrum, quod receptui foret tot corporibus condendorum pauperum. Iuxta quem locum ecclesiam postea in honore Dominici sepulcri consecrauit, eamque & terris & familijs dotauit: vt propter reuerentiam tanti nominis, sepultura ibi esset pauperibus & peregrinis.

Hanc autem ecclesiam amplificare congruâ dispositione conabatur, nisi senio iam pressus, post multa præclara opera, morte intercedente, prohiberetur.

Ego itaque Lietbertus, qui ei successi, tanto & tali animatus exemplo, in prædecessoris mei primitias laboraturus introij: & quoniam parua erat, iuxta ecclesiam illam, monasterium ampliori schemate ædificauit, ipsumque in honore Domini nostri Iesu Christi, & S. Sepulcri eius, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, omniumque Sanctorum Dei consecraui, ædificatoque claustro cum ceteris officinis, Abbatem & monachos eidem loco assignaui.

De rebus verò possessionis meæ, imperiali concessu & pontificali donatione, ecce coram Deo & præsentibus testibus, istud doto monasterium, ad vsus illorum, qui ibi Deo famulaturi sunt:

Hoc est, in suburbio Cameracæ ciuitatis, Abbatia S. Martini, quidquid in manu mea est; parochiales quoque duæ ecclesiæ S. Georgij & S. Mariæ Magdalenæ, altaria cum ecclesijs, minutum telonium, cambæ & plura curtilia, cum districtu toto, & terræ arabiles circa Cameracum, quas decambiaui ab Abbate Waldrico S. Andree Apolloli, cum alijs pluribus.

In eodem Cameracensi suburbio molendinum vnum, alterum & dimidium apud villam puerorum, cum districtu: item aliud apud Nigellam cum districtu.

Concedo etiam omnem piscationem, quæ continetur inter duopriora molendina; in pago Cameracensi villam omnem S. Hilarij cum ecclesia & altari, de villa Rotlancurt tertiam partem, ecclesiam de Salegio cum altari, ecclesiam de Tum, cum altari, altare de Majnerijs.

Ad Relincurt curtilia & terræ arabiles, ad Blatincurt duas partes vnus cambæ, curtilia & terram arabilem: in villa Bantineis, Hera, Ramelijs, Morenceis, Collerio, Ollemilla, Solobria, & apud Veterillis curtilia & terram arabilem, apud Bufferias mansum vnum cum districtu, & terra arabili, dimidium prædium de Gatineis.

In pago de Hainau Villerellum totum, & ecclesiam & altare liberri-



berrimum ab omni exactione, præter XII. denarios, terram quoque de Vehut, cum districtu toto.

In Bracbatensi pago ecclesiam de Melin, item villam quæ vocatur Niuuehoua, & ecclesiam & altare liberum ab omni debito, præter XII. denarios; in pago Letgij altare de Villanis.

De his itaque priuilegium fieri præcepi & propria manu firmaui: quod quidem vt firmum atque inconuulsum in perpetuum maneat, precatu meo & obrentu, regalis impressione sigilli roboratum est atque signatum.

Vos itaque, successores mei Pontifices, rogo & obsecro, in nomine domini nostri Iesu Christi, Redemptoris & Saluatoris nostri, vt pro eius amore huic incapto operi misericordiæ vestræ manum porrigatis, vt quemadmodum ego cum antecessore meo desideratam expecto mercedem, sic & vos pro tali opere ad æternam requiem peruenire mereamini post laborem.

Quicumque ergò huic cœnobio de concessis & concedendis aliquid subripere voluerit, & regis firmitati contraire tentauerit, hic à corpore & sanguine Domini, & communione pacis alienus fiat, & nisi resipuerit, & ad satisfactionem venerit, æternæ maledictioni cum diabolo & angelis eius damnandus sine fine subiaceat.

Ad huius verò priuilegij tenorem inuiolabiliter conseruandum, testes idoneos præcepimus subtitulari.

- Signum Walcheri Archidiaconi.
- S. Gerardi Præpositi & Archidiaconi.
- S. alterius Gerardi Archidiaconi.
- S. Franconis Archidiaconi.
- S. Warmundi Archidiaconi.
- S. Widonis Archidiaconis.
- S. Christiani militis.
- S. Ioannis militis.
- S. alterius Ioannis militis.
- S. Gilberti militis.
- S. Herivvardi militis.
- S. Amolrici militis.
- S. Heriberti militis.
- S. Widrici militis.
- S. Rotberti militis.

Actum



Actum est hoc Cameraci in eodem monasterio S. Sepulcri, anno ab Incarnatione Domini M. L. XIV. Indictione II. regnante HENRICO Rege Lothariensium anno XII. Episcopatus verò domni Lietberti XIV. 1064.

Paruinus Notarius & monachus scripsit.  
Werimbaldus Cancellarius recensuit.

## NOTATIONES.

Gregorius VII. Papa anno II. sui pontificatus, Paschalis II. & alij exinde Pontifices Romani hæc omnia rata esse iusserunt. Idem fecit Gerardus eo nomine secundus Cameracensis Episcopus, anno Christi M. X. C. Indictione XIV. 1090.

LOTHARIENSIVM) Rex hic nuncupatur Henricus eo nomine quartus Imperator, vt & Otho I. suprâ cap. 18.

## CAPVT XXXVI.

*Lietbertus Cameracensis Episcopus, a motis Canonicis secularibus, vt vocant, regulares substituit in Cameracensi S. Auberti cænobio, anno 1066.*

**I**N nomine sanctæ & diuiduæ Trinitatis. LIETBERTVS, Dei gratia Cameracensium Episcopus, successoribus suis Episcopis & cæteris Christi fidelibus præsentis vitæ latitiam, & futuræ sempiternam gloriam.

Est quoddam monasterium infra muros Cameracæ ciuitatis, in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli, sanctique *Auberti* confessoris, eiusdem ciuitatis Episcopi, ibidem corpore quiescentis consecratum, vbi retrò deseruiebatur officio Canonicorum: quibus iniunctam seruitutem negligentibus, cœpit locus ille vilescere, & indies à prioris honorificentis statu declinare.

Hoc ego considerans condolui, cœpique animo voluere, qualiter melius ad diuinum cultum possem releuare. Tandem zelo Dei animatus, & fidelium nostrorum consilio roboratus, regulares Canonicos, de communi viuentes, & nihil proprium habentes, & eiusdem professionis & ordinis Abbatem eo in loco constui, restaura-  
tis



tis & alibi restitutis præbendis Canoniorum illorum, qui proprium retinentes illic communiter viuere noluerunt.

Adilitatem verò & Præposituram, quæ mei iuris erant, præter antiqua bona huius loci, per consilium Archidiaconorum & Canoniorum, & ceterorum fidelium nostrorum, huic Ecclesie contuli, & insuper potestatem donandi præbendas Abbati concessi.

Vt autem hoc factum firmum maneat & inconvulsum, præcepi fieri huiusmodi priuilegium, quod etiam manu propria firmaui, & sigilli mei impressione signaui: postulans & obtestans omnes vos, & successores mei Episcopi, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt quod feci, tam pro vestra, quàm pro mea & totius ciuitatis salute conseruetis, prouehatis & vos, quantum Deus donauerit ex vestra parte.

Præterea postulamus à vobis, vt eisdem Canonis sua professionis Abbatem semper præficiatis: in cuius constitutione electionem esse permittatis eorum.

Signum domini HENRICI quarti Regis.

Sigishardus Cancellarius, vice Sigifridi Archicancellarij recognoui.

1066. Data anno Dominicæ Incarnationis M. LXVI. Indictione quarta, anno autem ordinationis domini Henrici quarti Regis XIII. regni verò X.

Actum Trieremundi in Dei nomine feliciter, amen.

### NOTATIO.

S. AVBERTVS ) Cameracensis & Atrebatensis Episcopus, cuius nomen indignus gero, an. 651. floruit; teste Sigeberto in Chronico. Sepultus autem fuit in ecclesia B. Petri, quæ extra muros vrbis Cameracensis erat ædificata, nunc autem, ampliatis mœnibus, est intra vrbem: vt Baldericus in Chronico Cameracensi loquitur.

Monasterium porrò istud S. Petri, quod nunc S. AVBERTI dicitur, primùm Canonicos seu clericos habuit sæculares, vt vocant: quibus amotis Lietbertus substituit regulares, in communi viuentes: vt Coluenerius in Notis ad lib. 2. cap. 9. citati Chronici Cameracensis fusè explicat. Eiusdem S. Auberti sacra ossa ibidem in feretro argenteo honorificè adseruantur.

CAPVT



## CAPVT XXXVII.

*Arnulfus Comes Gifnensis Ardense Canoniorum collegium,  
in opido Ardensi, vulgò Ardres, in diœcesi olim Ter-  
uanensi, nunc Boloniensi situm, anno 1069.  
fundat ac dotat.*

**I**N nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnus veri Dei. Ego DROGO gratia Dei Teruanensis ecclesiæ Antistes, notificare volo fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, me concessisse, precibus cuiusdam petentis nostri ARNYLPHI scilicet Aduocati, non abnuenda petentis, altare de ARDA, libertatis ad instar S. Mariæ, in qua requiescit corpus S. Audomari.

Ea scilicet conditione, vt sub patrocínio eius, successorumque eius, perpetuò omnis debiti exactione solutum maneat, dum tamen nobis, successoribusque nostris duos solidos in Cœna Domini Teruanæ annuatim persoluat. Duæ autem partes oblationum eiusdem altaris deputabuntur Canonicis ibidem Deo seruituris, tertia verò cum cera tota ad luminaria, & ad restaurationem ecclesiæ.

Hæc igitur sunt, quæ idem Arnulfus pro anima sua, & vxoris suæ, & filiorum suorum, & patris & matris, & antecessorum & successorum suorum, ibidem Deo, & Canonicis dat; decimam eiusdem villæ de omnibus, totam terram ad carrucam vnã liberam, vnicuique Canonico curtillum vnum liberum in eadem villa, decimam de *Frelinghem & Rolinghem*, in *Pepelinghem*, decimam eiusdem villæ & terram liberam ad carrucam vnã, decimam de *Walainis*, & molendinum vnum, & curtillum vnum liberum in *Elcetho*, terram ad carrucam vnã liberam, altaria quoque de *Hondescoto & de Bouingia*, & de *Suanekia*, quæ erant de beneficio eius. Pro quibus, ad honorem nostri & successorum nostrorum, quinque solidi dabuntur, in substituendo Decano, qui ad Synodum veniet. Molendinum quoque, quod est in Orientali parte castelli ARDÆ, & cum terra apud *Bladringham*, & in *Blendeka* terram ad carrucam vnã liberam.

Si quis ergò contra hoc nostrum decretum venire tentauerit, iram Dei primum incurrat, legeque coactus decem libras auri persoluat.

K

Acum



1069. Actum *Teruane*, anno Incarnationis Domini M. L. XIX. Indictione VII. regnante Rege Philippo, adstantibus idoneis testibus, quorum nomina subscribuntur.

Signum DROGONIS Episcopi.

S. Huberti, S. Warneri, Archidiaconorum.

S. Geroldi Decani.

S. Grimolandi Cantoris.

S. Iodonis. S. Odonis.

S. Walteri. S. Richarj.

S. Gerardi. S. Arnulfi Aduocati.

S. Sicardi Descoches. S. Gerardi Godnach.

S. Adelonis. S. Regeneri.

S. Balduini de Vphen.

S. Ernulphi. S. Heberti. S. Galandj.

S. Frumoldi. S. Eustathij.

### NOTATIONES.

*Ardes.* Diploma istud ex Historia ms. Comitum Gifnensium, per Lambertum Ardensis ecclesie presbyterum conscripta, nobis suppeditauit V. N. Philippus Gomicurtius, opidi Betuniensis in Artesia Gubernator.

DROGO) Teruanensis seu Morinensis Episcopus, vir pius & doctus, scripsit Miracula S. Leuinne virginis & martyris, & multa preclare gessit, à Meiero in gestis annorum 1058. 1063. & 1066. laudata.

Ceterum Arnulfus Gifnensis Comes opidum Ardense condidit, & Canonicorum collegium ibidem constituit: vt idem Meierus in gestis anni 1069. testatur.

Ardense Canonicorum collegium in Præmonstratensis ordinis cænobium Balduinus Ardensis toparcha an. 1144. vertit.

ARNULPHI Aduocati.) Ne quis erret, moneo hunc Arnulphum opidi Ardensis fuisse non Aduocatatum, sed Dominum: vt ex Meieri citatis verbis & ex Lamberti Ardensis Historia cap. 115. liquet. Vocatur autem hic Aduocatus, quia monachi S. Bertini in terra Gifnensi eum Aduocatatum suum constituerant: vt idem Lambertus c. 112. loquitur.

VXORIS & filiorum.) De ijs Meierum in gestis anni 1069. consule: quibus adde ab eodem in gestis anni 1144. narrata.

S. Hv-



S. HYBERTI) qui Drogoni in Episcopatu Teruanensi successit, ut suspicor. De quo Meierus & Iperius in Chronico ms. Bertinensi fusè agunt.

S. WARNERI) qui & fundationi Insulensis Canoniorum collegij an. 1066. subscripsit: quam vide in nostro Codice donationum piarum cap. 59.

## CAPVT XXXVIII.

*Eustathius Comes Bolonia, & uxor eius Ida, parentes Godefridi Bullonij Regis Hierosolymitani, anno 1070. prædijs ac priuilegijs dotant Lensense Canoniorum in Arthesia collegium, à maioribus suis fundatum.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, veri Dei, amen. Dudum generis humani multiplicitas, operationis peruersæ vinculis aggrauata, diluuij merita perijt inundatione: & qui lanternam castitatis & continentiæ spernentes, ad montem tutum noluerunt ascendere, in conualle vitiorum & abyfso tenebrarum remanentes, per lubricas inçestæ actionis vias incedentes, violentia aquarum multarum, meruerunt interire.

Noë verò, cum filijs suis, id est, sibi conformibus, tempestate vitiorum non submersus, sed innocentia suæ vitæ, Domino gubernante, sublatus, mortis de fluctibus exiuit: & soliditate mōtium, passibus honestæ conuersationis firmiter occupata, Arcam ibidem composuit, quam sibi suisque consortibus refugium securitatis existimauit.

Magno itaque gaudio de innocentia suæ vitæ in Domino gloriabatur, cum peccatores diuina ultione prostratos interire videns, de sua suorumque salute gratulabatur.

Hoc autem sub antiquo tempore factum, nobis innuit figuram modernæ nouitatis, & quod eis contulit meritum malitiæ seu bonitatis, hoc modo recipimus, Domino iudice veritatis.

Mali namque, peruersitate cogitationis & operationis, à Creatore suo fugientes, in diluuiio multiplicis culpæ pereunt, & graui massa peccatorum caput inclinati. . . . . boni verò conuersationem prauorum, per honestatem morum, fugientes, de conualle mundanæ tempestatis ad montem virtutum, ascendunt . . . . in Christo monte firmissimo fundamentum fidei ponunt, & Ecclesiam viuis



ex lapidibus, id est, suis sanctis animabus Christo bonis moribus adhaerentes, domum suae liberationis aedificare non desistunt.

Principes enim de tenebris ignorantiae ad lumen fidei conuersi, per orbem terrarum, ad honorem nominis Domini construunt ecclesias, & transitorias hereditates ecclesijs dando, sibi faciunt aeternas. Datur enim quod stultum est & sapientibus contemptibile: acquiritur autem quod stultis videtur esse modicum, & sapientibus gloriosum ac delectabile. Substantia transitoriae vilitatis comparat veritatem aeternae felicitatis, & dantes bona praesentis tribulationis, capient hereditatem futurae iocunditatis.

Quicumque ergo Ecclesiam velur matrem debiti cultus exhibitione decorare satagunt, Dominum caput & sponsum ipsius honorant & diligunt: & ipse diliget eos, quando eum, omnia in omnibus existentem, claro lumine videbunt. Respicientibus enim ad matutinum, id est, nostri diei, nostrae laetitiae principium, demorabitur gloria iocunditatis; ad vesperam autem, id est, nostrae noctis, nostri doloris initium infelicitas desolationis.

Nos ergo paenas impiorum & iustorum coronas animaduertentes, ego EYSTATHIVS Boloniensium Comes, & vxor mea IDA, matrem nostram & Domini sponsam, sanctam scilicet Ecclesiam debita veneratione, pietate, & affectione honorare desideramus: vt per hoc Deus auctor pietatis nostris iniquitatibus propitiatur; & qui pondere peccatorum nostrorum praegravati in sepulcro nostri faecoris iacentes, lumen veritatis amisimus, per coniunctionem cordis nostri, & largitionem nostrae possessionis, ad Solem iustitiae caput erigamus.

Istam vero in loco nostro, qui appellatur LENS, ab antecessoribus nostris honorifice constitutam, specialiter cupimus exaltare: & quod deerit vtilitati Deo seruentium in ea, possibilitate nostrae facultatis deuoti sumus administrare: & quemadmodum eam honorare studuimus ex munificentia nostrae possessionis, ita eam exaltare quaesiuimus honorificentia libertatis: ne sub tempore alicuius maliuolae potestatis, gemat oppressa iugo seruitutis.

In principio vero foundationis eius, terris & libris & conditione liberali fuit dotata, sed praesumptio temeritatis, & inuidia diaboli ecclesiam cum libris, & priuilegium cum signis comburens, annullare putauit vniuersa. Sed quod diabolus deleuit per inuidiam, fauente



uente Deo, & domino Episcopo nostro LIETBERTO, volumus e-  
mendare per beniuolentiam.

Liberam igitur potestatem concedimus Canonicis assumendi  
quemcunque voluerint Aduocatum; qui tamdiu & non ulterius eo-  
rum rebus, vel eorū causis præsit, quamdiu eis placuerit. Altaria etiā  
S. Mariæ & S. Laurentij ab omni seruitute libera esse ostendimus.

Et vt nostra ecclesia foret æqualis alijs quæ gaudent dote liberta-  
tis, scilicet S. Mariæ Atrebatensis & S. Gaugerici Cameracensis, mul-  
tum laborauimus, & Deo gratias, laudante Lietberto Episcopo, ad  
finem perduximus.

Et vt memorabile hoc firmum & stabile sit, scripturæ cōmenda-  
uimus, & res quę pertinet ad ecclesiā omnibus notificare studemus.

Ista ergò in vico Lensis cum omni libertate Deo data, pertinent  
ad Ecclesiam, in moneta per singulas septimanas XII, denarij eccle-  
siæ, ad vsu[m] sacerdotum quotidie, pro fidelium animabus, Missas ce-  
lebrantium, persoluantur; exceptis hebdomadis Paschæ, Pentecostes  
& Natalis. Teloneum quoque liberum, vt ab ipsis solūmodo Cano-  
nicis dari vel offerri debeat; & nihil amplius inde mihi vel succes-  
soribus meis accipere debeat, quā carratam vini decē & octo mo-  
diorū tantūmodo; nec modius plus contineat, quā viginti sextarios.

Concessimus deinde sex cambas, vnam Custodi, duas Scholasti-  
co, reliquas, & quæ ad eas pertinent, vsui Canonicorum: similiter  
furnum, & quæ pertinent ad eum.

In suburbio quoque Lensensi apud Bekerel molendinum vnum,  
& in ipso molendino habet Præpositus has oblatas tres... frumenti,  
& tres solidos. Apud Lens etiam singulis Canonicis vnum curtile  
habendum disposuimus, quinque infra munitionem, septem verò  
extrā, communioni quoque fratrum viginti curtilia, præterea sex,  
duo quorū propria Custodi sunt, iuxta atrium S. Laurentij adiacen-  
tia, sed reliquorū quatuor pars dimidia Custodis & dimidia Canoni-  
corum. Ecclesiæ quoque de *Berhai* & de Durgis, & bodij eius partem  
dimidiam cōcedi & corroborari impetrauimus à domino Lietberto,  
necnon bodium de Werchin: sed de Werchin 3. pars Custodis est.

In villa Wendinij habent Canonici ad duas carrucas terram, &  
cambam & furnum, ad quem debent omnes incolæ venire. In ea-  
dem villa habent aliam terram cum tribus hospitibus; in hac habet  
Custos tertiam partem.



Apud Wistrevvingles carrucam terræ: apud Huluce terram vnius modij & curtile & dimidium: Himil vnum curtile; Ailoe carrucam terræ & sex curtilia: Iuuenchij vnum curtile: in pago Atrebatensi apud S. Leodegarium dimidij modij terram: Annez terram, in festiuitate S. Dionysij duodecim solidos persoluentem: quarta pars quorum Custodis est, & Præpositus inde sex habet denarios.

Rollecurti terram, soluentem septem solidos in festiuitate omnium Sanctorum; quorum tertia pars Custodis est. Ruit tres solidos in Natali Domini, & Custos tertiam partem. De Gernay tres solidos, & Custos tertiam partem. Tanquis sex solidos Canonici per se. Leuin, septem . . . . & dimidium frumenti: verum vnum & dimidium Custos habet: & quatuor capones ibi sunt, quorum duo tantummodo sunt Præpositi. Ibidem habent duo curtilia Canonici pro se.

Menricourt, vnum curtile & terram arabilem. Roueroit, vnum curtile & terram arabilem. Vertincurt, dimidij modij terram, & ibidem aliam terram, vnde ecclesia S. Vedasti Atrebatensis quatuor frumenti. . . . & duas auenæ soluit. Goefmenricurte vnum curtile & tertiam partem vnius. Vilers duo curtilia & dimidium & terram arabilem. Billy duo curtilia, & Custos tertiam partem. Montiny vnum curtile, & Custos tertiam partem.

Bailloelt duo curtilia & terram nouem modiorum, Custosque tertiam partem. Courerijs septem curtilia & terram cum octaua parte decimæ. Durgis sex curtilia & terram arabilem: in vno curtillium horum habet Custos tertiam partem.

Nicelle Godeldis quatuor curtilia, quorum vnum Custodis est, & terram arabilem, persoluentem sexdecim . . . . variæ annonæ, quarum quatuor Custodis sunt, & duos modios & tres . . . . auenæ. Hæ tres Custodis sunt.

Sanguin duo curtilia cum terra arabili. Eskercin duo curtilia & terram arabilem. Molains carrucam terræ, cuius duæ partes Decani sunt, tertia Custodis. Salau vnum curtile & terram arabilem. Axseuille terram arabilem. Niaule dimidium bodium, & vnum curtile cum terra arabili.

In molendino Becherel habet Decanus duplicem præbendam hiemalis annonæ, & in Lensensi horreo frumentum similiter. In festiuitate S. Vulgani, infra Pentecostem, de oblatione habent Canonici



nonici XL. solidos: de reliquo, media Custodis est.

In Ascensione Domini de oblatione, quæ fertur ad Sanctum, dimidia pars Canonorum est: similiter de Cruce, & de Sepulcro. In cœmeterio S. Mariæ, habet Custos tertiam partem; in S. Leodegarij & S. Laurentij medietatem.

Singulis annis in Natali Domini debet Comes vnum pastum in ministerio Vicecomitatus statutum, alium verò in festiuitate omnium Sanctorum in ministerio Mariæ: in crastino Natiuitatis Domini Præpositus vnum, in tertio die Custos vnum, & in Purificatione S. Mariæ vnum. In Natali verò S. Mariæ debet Custos Canonicis sex solidos pro familia ecclesiæ quam tenet.

In loco nominato Caisnetum, habent Canonici terram soluentem octodecim capones, sub inferiori molendino aquam & curtia appendentia: & iuxta habent terram persoluentem duos solidos. Apud Templouium vnum curtile, cum terra arabili de allodio Letardi de Anechin.

Quicumque igitur nostræ dispositionis statutum rescindere conatus fuerit, sicut à PHILIPPO Rege Francorum & Comite Flandrensium imperatum, X. uncias auri & LX. libras argenti, & banum Regis persoluat, & quod voluit facere irritum fiat.

Anno ab Incarnatione Domini M. LXX. Indictione VIII. apud 1070.  
LENS in basilica S. Mariæ peregrimus, & nobiles, clericos seu laicos, ad huius rei testimonium confirmandum, conuocauimus: quorum nomina subscripta sunt.

Signum Tiebaldi Decani, & Custodis & Præpositi.

Signum Rainaldi presbyteri.

S. Mainbotonis presbyteri.

S. Roberti Diaconi.

S. Reneri Diaconi.

S. Leduvvini subdiaconi.

S. Bernardi Castellani.

S. Roberti fratris eius.

S. Hugonis de Senguin.

S. Engelardi.

S. Rodulphi Wispelleinti.

S. Leotoldi de Huluch.

S. Letardi de Anechin.

NOTA.



## NOTATIONES.

Bononia, vulgò Bolonia, in Gallia Belgica ad Oceanum sita, potentes olim Comites habuit: quos inter EUSTATHIVS eo nomine secundus eminuit. Is LAMBERTO Comiti Lensensi, Ista seu Infulis Flandrorum occiso, anno 1054. successit in Cimitatu Lensensi: vt Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 3. cap. 78. tradit.

Idem Capellense S. Mariæ monasterium, sodalium Benedictinorum, in vico Merck, diocesis Boloniensis, an. 1090. fundauit: vt Iperius in Chron. Bertiniano & Mejerus testantur.

EX IDA, Godefridi Barbati, Lotharingiæ superioris & inferioris Ducis filia, Godefridi Gibbosi sorore, filios quatuor, God. Bulonium, Balduinum, Eustathium & Guilielmum, itemque filias duas sustulit. Plura vide in Stemmatis Principum Belgij, si voles.

MINISTERIA Vicecomitatus & Mariæ) hoc est, Gallico idiomate, *Mestiers ou Offices de Visconte & Maieur.*

## CAPVT XXXIX.

*Lietbertus Cameracensis Episcopus, petente Eustathio secundo Comite Boloniensi ac Lensensi, varia priuilegia Lensensi Canoniorum collegio concedit, an. 1070.*

**E**GO LIETBERTVS, Dei gratia Cameracensis Episcopus, paternæ dilectionis affectu, ad commoda posteritatis laborare non recuso, & eorum pia deuotionis actione participare studeo, qui dignè Deo psallere satagunt cum Psalmista, Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Vnde Comitis EUSTATHII, & VXORIS eius IDÆ Comitissæ religiosæ iustis petitionibus, sed & Arnulphi Flandrensi Comitis concessu, ipso & Philippo Rege Francorum annuente, ecclesiam, quam apud LENS, in honore sanctæ Dei genitricis perpetuæ virginis Mariæ, Dei cooperante misericordia, consecrauimus; & eiusdem loci Canoniorum sustentationem siue gubernationem ab omni exactione Episcopi & ministrorum eius, censu videlicet vel reditu, amodò liberam esse permitimus.

Sed



Sed duas ecclesias, quas in eadem villa sitas esse cognouimus, vnam videlicet in honore S. Leodegarij martyris, aliam verò in honore S. Laurentij martyris, victui Canoniorum Lensensium, seu vsui eorum ab omni iure nostri redditus solutas esse concedimus: & vt Canonici S. Mariæ Lensensis ecclesiæ, & eorum Vicarij, & alij eorum prædictis ecclesijs seruientes presbyteri, per Decanum ecclesiæ S. Mariæ vocati, ad iustitiam prosequendam veniant, & iudicio Canoniorum & suorum presbyterorum de proprijs animis satisfaciant.

Et si quid amplius libertatis ecclesia S. Gaugerici Cameracensis, imò ecclesia S. Mariæ Atrebatensis habere dignoscuntur, ipsi Lensenses Canonici simili pace, & sine vlla inquietudine, sua possideant. Ecclesiæ quoque de *Betay*, & eorum quæ ad propria adiacent, dimidiam partem cum Persona habeant; & Episcopo eiusdemque ministris, quæ Episcopalia sunt, persoluant.

Ea verò, in quibus Comes *EUSTATHIVS* & vxor eius *IDA* Comitissa, ecclesiam S. Mariæ Lensensis à principio . . . . fatentur & asserunt, teloneum videlicet liberum, vt ab ipsis solummodo Canonici dari vel auferri debeat, & nihil amplius inde ipsi Comiti accipere liceat, quàm carratam vini X. & octo modiorum tantummodo, cambam quoque, furnum in eadem villa, & molendinum apud *Bekelet*, & bodium apud *Verchin*, & quæcumque nostris temporibus concessa, & in futurum concedenda sunt, vtilitati prædictorum Canoniorum statuimus profutura.

Concedimus & Lensensibus Canonici liberam potestatem admonendi & reuocandi malefactores ecclesiæ suæ, contemptores quoque excommunicare, & eorum excommunicationem confirmari auctoritate Episcopi eiusdem prouinciæ, & vt à satisfacientibus sua recipere, & eos possint absoluere.

Et vt in perpetuum firmum quod disposuimus habeatur, auctoritate Dei & S. Mariæ, & sanctorum Canonum sancimus, & nostra, vt nec ego, nec alius Episcopus, seu clericus, siue Rex siue Comes, siue secularis persona violare audeat ex his quidquam, quod continetur hac scriptura.

A Rege quoque Philippo, & prænominatis Principibus conceditur, vt quemcunque voluerint, Canonici de rebus suis Aduocatum habeant; qui, quamdiu eis placuerit, præsit & non vltorius.

L

Quis-



Quisquis igitur contra nostræ institutionis decretum violentiam, vel inuasionem vel alienationem prædictæ ecclesiæ de suis rebus intulerit, à corpore & sanguine Christi alienus fiat, donec Canonicis digna pœnitentia satisfecerit.

Actum apud Lens in basilica S. Mariæ, anno Domini Christi M. 1070. LXX. Indictione VIII, epacta VI. quod in præsentia subscriptorum testium signauimus.

Signum Gerardi & Werriçi Archidiaconorum.

S. Mascellini. S. Hazecoti. S. Alardi.

S. Tietboldi Decani.

S. Rainoldi & Membodonis presbyterorum.

S. Raineri Diaconi.

S. Liduini Subdiaconi.

Ego Lietbertus Dei gratia Cameracensis Episcopus hoc priuilegium manu propria confirmaui.

### NOTATIO.

S. LEODEGARIUS) Episcopus Augustidunensis, iussu Ebroini, Maioris domus regiæ, an. 672, occisus est in territorio Atrebatensi, in loco, qui dicitur Silua S. Leodegarij, sepultusque est in villa quæ dicitur *Sercin*, quæ est in confinio Cameracensis Episcopij, & Morinensis: vt Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 1. cap. 20. loquitur.

### CAPVT XL.

*Aquicinclina Benedictinorum Abbatia, secundo lapide à Duaco, per viros nobiles, VValterum, Sicherum & Ansellum Ribodimontanum fundatur, & à Gerardo II. Cameracensi Episcopo stabilitur, anno 1079.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. GERARDVS secundus Cameracensium, Dei gratia, Episcopus, omnibus Christi fidelibus, & in præsentī vita eam, quam mundus dare non potest, pacem, & in futura æternam beatitudinem.

Duo milites, parochiani nostri, genere & diuitijs præclari, WAL-  
TERVS



TERVS scilicet & SICHERVS, spiritu diuino afflati, Dominicæ promissionis elegerunt participes fieri, qua dicitur, Quicumque reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem, aut agros, aut cætera huiusmodi, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Isti ergo mundanæ militiæ cingulum deponentes, omnem huius mundi proprietatem contemnentes, theoreticam vitam sequi sponderunt; seque & sua omnia Deo dedentes, ipsi solum in perpetuum deseruire promiserunt, locumque qui AQUICINCTVS dicitur, elegerunt; ecclesiam inibi volentes restaurare, quam à S. Gordano, in eodem loco eremiticam vitam ducente, audierant quondam ædificatam fuisse.

Hoc autem consilium Walterus scilicet ac Sicherus, Walterus per matrem, Sicherus per vxorem, confirmatum ANSELLO aperuerunt. Ipse verò Ansellus insulam illam AQUICINII, & arundinetum pertinens ad eam, & villam quæ Vedretum dicitur, eidem insulæ contiguam, quæ à nobis in beneficium tenebat, in manu mea reddidit, & ego ea in ius perpetuum donavi ecclesiæ ipsius Aquicini.

Præterea congaudens illorum religiositati, & Christianissimi laboris incœptis, ecclesiæ libertatem, quam diu amiserat, restitui, & altare solutum à Persona, & ab omni reddito feci; præter quod baculum Abbatæ in manu mea retinui; ita tamen vt eum illi darem, quem monachi illius loci, secundum regulam S. Benedicti, in Abbatem eligerent.

Vt autem hoc ratum & inconuulsam maneat, bonorum virorum subterfignatorum testimonio, & sigilli nostri impressione corroboratum est.

Signum Widonis Archidiaconi.

S. Widrici Archidiaconi.

S. Anselmi. S. Vilardi.

S. Ioannis. S. Fulconis.

S. Ingebrandi. S. Huberti.

S. Vulferi. S. Alardi.

S. Walteri Castellani Duacensis.

S. Clarebaldi.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. LXXIX. Indictione 1079.



dictione II. anno verò Henrici Regis XXVI. præfulatus verò domini Gerardi secundi Cameracensis Episcopi IV.

## NOTATIONES.

Ad huius diplomatis pleniorē lucem, libet subnectere quæ de illustris Abbatia Aquicinctinæ initijs ex veteri eiusdem codice ms. hausimus:

Inceptum est cœnobium S. Salvatoris in insula, quæ dicitur **AQVICINCTVS**, à viris illustribus Sichero videlicet & Waltero, Qui Sicherus habebat uxorem nomine Mathildem, nobilem quidem natalibus, sed nobiliorem moribus; quæ conjugem suum crebrius monendo, ad hoc opus aggrediendum incitavit, idè maxime quod sanctum quendam Gordanium inibi quondam eremiticam vitam duxisse ferebatur.

Vnde factum est, vt priuati viri hinc crebrò colloquentes, se mutuò hortarentur; & deliberantes Ansellum de Ribodimonte nobilissimum virum adeunt, & ab eo insulam illam, quia sui erat iuris, deposcunt.

At Ansellus, audita petitione eorum, gauisus est valdè, & sine dilatione, gratis, quod petebatur, concessit. Itaque ex condicto pariter properantes, Gerardum Cameracæ vrbis Præfulem aggrediuntur, ad cuius diœcesim tunc locus ille pertinebat; quid animo gerant pandunt: & quia eius parochiani erant, vt voto eorum assentiatur, exposcunt.

Quibus auditis, venerandus Pontifex libentissimè annuit, receptoque fundo de manu Anselmi, quem ab eo in beneficium tenebat, cum arundineto adiacente, eis tradidit. Quo accepto, cœnobium ibi construere cœperunt, & de suis allodijs, competenter, prout poterant, ditauerunt.

Aggregantur ibi Deo deuoti viri, se cum facultatibus suis Christo deuouentes, eius grex pusillus esse gestientes. Quorum curam memoratus Præsul gerens, duos ex monachis Hasnoniensis cœnobij, honestæ vitæ, ad eos instruendos misit: è quibus vni eorum, Alardo nomine, curam eorum commisit, & Abbatem ordinauit. Hactenus ex ms. Chronico Aquicinctino.

S. GORDANIUS) eremita colitur 6. die Octobris Aquicincti; quod vulgò



vulgò *Anchin* dicitur. Inde collegium Aquicinctinum, ab illius loci Abbate ædificatum; in quo Societas Iesu Scholas suas habet.

## C A P V T X L I.

*Henricus III. Imp. foundationem Abbatie S. Agerici Vir-  
dunensis, à Theoderico Viridunensi Episcopo factam,  
anno 1089 confirmat.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego HENRICVS tertius Romanorum Imperator Augustus, notum facio tam præsentibus quàm futuris in Christo fidelibus, quòd villam Ballereis, quam THEODERICVS Viridunensis Episcopus ecclesiæ S. Martini & S. Agerici contulit, cum omnibus appenditijs suis, in campis, pratis, siluis, aquis & earum pertinentijs, & quidquid ad bannum pertinet eiusdem villæ, confirmari, & omnibus quibus modis dederit, iussuratum fieri.

Contulit idem Theodericus Episcopus eidem ecclesiæ, *Agericourt*, bannum & censum capitalem sub eodem banno commanentium, & bannum de terris suburbanis ipsi ecclesiæ adiacentibus, & ad ipsam ecclesiam deseruentibus; & terrulas ad *Betalainville*, cum banno, ex parte Heriberti presbyteri acquisitas; & molendina tria, quæ idem Episcopus apud castellum *Deleuart*, & aliud apud *Tsleis*, & aliud in Carniaco, cum manso vno acquisierat.

Dedit etiam vineas duas novas apud Molins, & ecclesiam novam cum domo; & post mortem Ducis GODEFRIDI, annuente Namucensi Comite ALBERTO. Villam Bellam cum ecclesia supradicta idem Episcopus addidit, quam ipse Comes à domina MATHILDE in beneficio acceperat.

Villam etiam *lunckeris*, quam Comes Eboius S. Mariæ maioris ecclesiæ violenter abtulit, ad ecclesiam S. Agerici idem Episcopus, annuentibus eiusdem ecclesiæ Canonicis, destinavit; vt si quando peruasor resipisceret, villa, cum totis appenditijs, ecclesiæ S. Agerici deseruiret.

Addidit etiam & curtem *Marley*, cum omnibus ad eam pertinentibus, integrè & absque conditione, quam recepit de Comite Hermanno, S. Agerico; perpetuo condemnans anathemate quemcumque,



cumque, qui in posterum hæc præsumeret minuere, aut infirmare, nisi sanctum Confessorem Agericum digna placaret satisfactione.

Addens etiam, quod de villis Marlei & Ballereis aduocationes in manu essent Abbatis, & nullus nisi ex eiusdem consensu, quidquam in eis habeat placiti, vel districtiōnis. Hæc ille omnia testibus idoneis,

*Ex Clero,*

Primicerio Milone Gippino,  
Lamberto Archidiacono, & Richero Decano,

*Ex Nobilibus,*

Waltero de Sorcei,  
Item Waltero & Erone de Claromonte,  
Roberto de domo Imperiaca,  
Guidone de Harebodis-villa,  
Eugone Aduocato,  
Olrigo de Hattonis-castello,  
Petro de Virduo,

Richardo de Deluart, & Gilberto Comite,

confirmavit. Et nos Imperatoria potestate præcipimus, vt in-  
conuulsum permaneat, nec de his quidquam quilibet mutet, vel  
infirmet, neque nundinas, quas ille in festiuitate S. Agerici fieri  
1089. constituit, auertere audeat.

Data Nonis Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis millesimo  
octogesimo nono, Indictione XII. præsentibus,

Archiepiscopo Treuerensi Helberto,

Leodicensi Episcopo Henrico,

Traiectensi Conrado,

Et Ducibus THEODERICO & GODEFRIDO,

Comitibus, Namucensi Alberto, & fratre eius Henrico, &  
Folmaro, & Segiberto, & Henrico de Luzeleborg.

Acta Metis in Dei nomine feliciter, amen.

Signum domini Henrici tertij Romanorum Imperatoris.

### NOTATIONES.

HENRICVS III. ) est alijs quartus; adnumerato scilicet inter Cz-  
sars Henrico Aucupe. Quem si omiseris, Henricus, cuius diploma  
iam



iam recitavi, erit tertius illo nomine Cæsar. Ioannes Paulus Windeck, lib. 3. de Electoribus Imperij cap. 9. notat, Henricum Aucupem à plerisque illorum temporum Historiographis, & in veterum diplomatibus, non vocari Imperatorem; eò quod non fuerit à Romano Pontifice coronatus.

MATHILDE ) Godefridi Gibbosi, Lotharingorum inferiorum Ducis vidua.

THODERICVS ) cognomento STRENVVS, Gerardi Alfatij filius, & in Ducatu Lotharingæ Mosellanae successor, an. 1115. obiit.

GODEFRIDVS ) Bullonius hoc ipso anno 1089. ab Henrico IV. Imp. creatus est Dux Lotharingæ inferioris.

Ceterum ex isto diplomate liquet, eo ipso tempore, quo Godefridus Bullonius Lotharingæ inferioris Dux fuit, Theodericum Strenuum in Lotharingia Mosellana Ducem exstitisse. Sic & an. 1064. Gerardus Alfatius Ducatum Mosellanum, & Fredericus Ducatum Lotharingæ inferioris possidebat. Quæ ut plenius intelligas, nostra Stemmata Belgica cap. 12. & 14. contule. Reperies ibi Duces Lotharingæ superioris & inferioris, à me in ordinem digestos, iuxta fidem diplomatum veterum, & scriptorum classicorum.

## CAPVT XLII.

*Manasses Cameracensis Episcopus Dicleuennensem S. Petri  
Abbatiam ex Dicleuenna ad Geraldii-Montem transfert,  
& stabilis, anno 1096.*

**E**GO MANASSES, diuina miseratione humilis Cameracensis Episcopus, considerans illud, quod in veteri Testamento scriptum est, *Ædificauit Moyles altare Domino Deo, super quod offerent sacerdotes sacrificia* (sub huius verò specie ædificationis ordo & mysterium subsequens Ecclesiæ designatur)

Ad laudem Saluatoris nostri Iesu Christi, sanctæque ipsius Crucis victoriosissimæ, in honore quidem beatissimi Petri Apostolorum principis, in loco qui GERALDII-MONS nuncupatur, ecclesiam dedicaui, ibique consilio & assensu domini ac patris nostri Manassæ, venerabilis Remorum Archiepiscopi, eiusdemque Coepiscoporum ecclesiæ, precibusque ac petitione Roberti Iunioris,  
catho-



catholici Comitis Flandriæ, dominiq̄ue Stephani de Boulario, Winniboldiq̄ue eiusdem loci Castellani, cæterorumq̄ue plurium, Abbatiam monachorum, propter angustias ac loci indigentiam, à *Decliuo* translata, liberè & principaliter stabiliui.

Ita quidem, vt Abbas à fratribus regulariter electus, pastorem baculum à manu Pontificis solummodo suscipiat, quorum vsibus fratrum, in cœnobio suo sub beati regula Benedicti Deo militatium ad salutem animæ meæ meorumq̄ue antecessorum, Comitissq̄ue prefati, altare de *Huneghem* cum omnibus appenditijs, in eodem videlicet Geraldimonte & Boulario, sine Persona & obsonijs, omnino liberum tradidi.

Ad cuius exaggerationem beneficii, idem Comes Robertus de alodio suo totam terram, que circa ecclesiam in atria benedicta est & diuisa, liberè & legitime eidem ecclesiæ tradidit, quatuorq̄ue iugera terræ arabilis, duosq̄ue mansos dominicos supra fluuium aquæ, quæ *Tenera* nuncupatur.

Præterea sapientum suprascriptorum & diuitum rationabili consilio, omnia beneficia, quæ primitus, dum ibi caput Abbatie positum fuerat, *Decliuo* appendebant, similiter Abbatie apud Geraldimontem translata, statuo, sicut prælibatum est, & innouatè consignata & adscripta sunt.

Altare videlicet de *Hauthem* cum appenditijs suis, *Heldreghem* & *Idrighem* sine Persona, sed cum debitis obsonijs, altare de *Okinghem*, altare quoque de *Touricourt*.

1096. Vt hæc verò charta indissolubilis persisteret, sigilli nostri imaginatione firmata est. Hoc autem factum est anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo sexto.

### N O T A T I O.

GERALDI MONS) vulgò Gerardi mons, Alostani Comitatus oppidum: in quo Benedictinorum Abbatia, *Dicleuennâ* per *Manassem* translata, etiamnum floret, titulo S. Adriani martyris, cuius ibidem sacre reliquie, frequenti piè peregrinantium concursu, honorantur.

Est autem *Dicleuenna*, *Dickleuenne*, municipium celebre ad *Scal-dim*, quarto lapide à Gerardi monte, inter *Gandauum* & *Aldenardam*



dam situm. Ticiuinnum nuncupatur in Diuisione regni Lothariensis anno 870. facta, quæ in nostro Codice donationum cap. 20. existat.

## C A P V T X L I I I.

*Lambertus Episcopus Atrebatensis fundationem & dotationem  
Abbatia Montis S. Eligij, qua est Canoniorum regu-  
larium, anno 1097. confirmat.*

**I**N nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnus, veri & summi Dei, amen. LANTBERTVS, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, suis successoribus præsentis vitæ lætitiâ, & futuræ gloriam.

Legimus in gestis Atrebatensis Cameracensisque Ecclesiæ, dominum Fulbertum earundem urbium Episcopum, corpus B. Vindiciani de terra eleuasse, eoque in loco, qui Mons videlicet S. Eligij dicitur, ecclesiam, priore destructa, reedificasse, de titulo Apostolorum Petri & Pauli, vbi clericos VIII. & stipendia, vnde viuerent, constituit, & eos hac libertate donauit, vt nullius potestati subiacerent, nisi solius Episcopi.

Post mortem verò eius, cœperunt dietim à seruitute Dei teperè, ecclesiæque, vsque ad tempus domini Lietberti Episcopi, declinare. Quam destructionem ipse vir misericordiæ ægrè ferens, vt ita dicam, alter Samaritanus, eius miseriam condoluit, ac secum tractare, quomodo id in melius repararetur, cœpit.

Cui consilium, tali negotio congruum, ille ministravit, qui hoc velle cordi eius infudit. Nam ibi clericos regulares, de communi viuentes, suorum consilio fidelium, ordinauit, eisque Abbatem suæ professionis præfecit.

Vnde factò priuilegio suos precatus est successores, vt eos prouerherent, & fierent adiutores. Libertatem quoque ecclesiæ ac possessionum suarum denuo confirmauit, & altare de *Huchin* ea conditione ibi dedit, vt singulis annis, in festiuitate S. Remigij, XII. denarios soluat, & deinceps ab omni redemptione liberum faciat. Altare quoque de *Rodricourt* ita dedit, vt sine Persona permaneat.

Dominus quoque Gerardus prædecessor meus, successor suus, in

M

Nouilla



Nouilla & Medianavilla, sine personis, dedit altaria, saluo iure Episcopi & redditus eius, & consuetudinibus Archidiaconi eius.

Hæc omnia ego Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, tibi reuerendissime frater & fili Ioannes Abba, omnibusque in eo, quo es, loco & ordine, propter religionem tuam successoribus tuis, religiose & communiter victuris, sicut superius determinatum est, firma & inconuulsa permanere concedo.

Concedimus etiam suo in tempore, cum opus fuerit, inibi Canonicis religiose & absque proprietate uiuentibus, cum consilio & auctoritate Atrebatensis Episcopi, licentiam eligendi, iuxta timorem Dei, & sacros Canones, Magistrum & Abbatem.

Quod si huiusmodi officij idonea persona ibi inuenta non fuerit, assensu Episcopi sui & consensu, eligant de alio monasterio virum religiosum, ordinis & professionis suæ, in Magistrum & Abbatem sibi præficiendum. Post hæc verò deducatur ad Episcopum, & suscipiat de manu eius temporale beneficium loci, & curam animarum, & Abbatis benedictionem.

Hisque beneficijs altare de Rebrouis, precatu domini Clareboldi militis, adinngo; ita vt duos tantummodo solidos, in Cœna Domini, ad seruitium Episcopi, persoluat, de cetero totum redigatur sub Abbatis dominio. Huius rei testes,

Dominus Ioannes Archidiaconus,  
 Dominus Clareboldus Archidiaconus,  
 Odo Præpositus,  
 Wibertus Decanus,

Fratresque ceteri totius congregationis S. Mariæ semper Virginis.

Dominus igitur Clareboldus, huius rei hortator, nullum alium penitus heredem facere volens, quàm ecclesiam Rebrouensem, totam, quam in vicinia habet hereditatem, ibi dedit; ita vt ipse supradictus Abbas, ad honorem Dei & S. Mariæ semper Virginis, ipsum locum per clericos suos detineret, & prout res exterior augetur, seruitium Dei intus cresceret.

Dedit videlicet in *Barasto* integrum molendinum, & vnus caruæ terram, & quinque hospites, & in *Dabellicurt* quartam partem, & siluam ibi attinentem. Huius rei testes ærum duo Archidiaconi,

Ioannes



Ioannes videlicet & *Clareboldus*, & totus ecclesie Atrebatensis  
 conuentus, dominusque Aloldus Abbas S. Vedasti,  
 Philippus, frater Comitis Roberti,  
 Clementia Comitissa Flandrensis,  
 Robertus Aduocatus,  
 Baldricus in Colhem,  
 Frumoldus de Insula.

Hoc igitur datum, & si quis aliud legitimè dederit, qui vsurpare  
 præsumpserit, & in prauos vsus redigere tentauerit, canonice ex-  
 communicationi subiaceat.

Ego LANTBERTVS, Dei miseratione Episcopus Atrebatensis, hoc  
 libertatis donatium relegi, subscripsi, & in nomine Patris, & Filij,  
 & Spiritus sancti, propria manu confirmaui.

Actum Atrebatu in Synodo, in basilica B. Mariæ semper Virgi-  
 nis, Dominae nostræ, anno videlicet Dei Christi M. XCVII. Indi- 1097.  
 ctione V. XII. Kal. Nouembris.

## NOTATIONES.

MONS S. Eligij distat altero lapide ab Atrebato, Artesiæ metropo-  
 li. Canonicos regulares eo in loco idem Lietbertus Episcopus, qui  
 & Cameraci in cœnobio S. Auberti, collocauit: vt supra cap. 36.  
 docui.

Vtriusque porrò cœnobij sodales veste violacea vtuntur: quod  
 illis inter Belgicæ nostræ Canonicos regulares est proprium ac pe-  
 culiare.

NOVILLA) *Noeuille vicus.*

MEDIANA-VILLA) *Moyeuville vicus.*

ALTARE de Rebrouijs) est hodie Prioratus seu cella, *Rebrenus*  
 vulgò nuncupata.

M 2

CAPVT



## CAPVT XLIV.

*Lambertus Atrebatensis Episcopus monasterium, ab Helder-  
maro presbytero eiusque discipulo Conone in Aridaga-  
mantia, nunc Aroasia, edificari ceptum, sua  
auctoritate confirmat anno 1097.*

**I**N nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnus veri & summi  
Dei, amen. Ego LAMBERTVS, Dei miseratione Atrebatensis Epi-  
scopus, gaudens de religiosa conuersatione tua, reuerendissime fra-  
ter & compresbyter CONO, desiderio desideramus paci & quieti  
tuæ, tam presentibus temporibus quam futuris, prouidere.

In aduentu enim tuo, & bonæ memoriæ domini HELDEMARI,  
magistri & confacerdotis tui, in Aridagamantia, in parochia nostra,  
quæ dicitur *Rochennies*, locum vobis ad seruiendum Deo elegistis;  
qui sicut aliquando fugiendus, velut spelunca latronum, fuit, nunc  
per Dei visitationem & tuam, & fratrum tecum habitantium, factus  
est refugium & solatium ibi transeuntium.

Vnde & te in eo, quo es, loco & ordine, & successores tuos, reli-  
giosè & canonicè inibi victuros, hac donamus libertate, vt tantum  
Episcopo respondeatis, & in manu eius, in libertate spiritus per-  
maneatis.

Contradimus etiam tibi, & per te legitimis successoribus tuis,  
cum fratribus inibi religiosè & absque proprietate viuentibus atq;  
victuris, in augmentum pacis & quietis, loci tui prædictam paro-  
chiam *Rochennies*, sub respectu duodecim denariorum in cœna Do-  
mini, ad seruitium Episcopi.

Si autem aliquando, quod absit, antiquo hoste instigante,  
in prædicto loco vel parochia, tale quid acciderit, pro quo recon-  
ciliatio necessaria fuerit, tibi legitimisque successoribus tuis, vice  
nostra, accepta aqua sanctificationis & reconciliationis, vt ea re-  
concilies, religioni vestræ annuimus & impertimus.

Si autem prædictus locus, largiente Domino, ad tantam copiam  
rerum, & seruorum Dei ibi commorantium, excreuerit, vt Præla-  
tum eligere debeant, liberam habeant potestatem, cum consilio &  
auctoritate Atrebatensis Episcopi, eligendi sibi magistrum & do-  
minum,



minum, iuxta timorem Dei & instituta sanctorum Canonum. Postmodum verò deducatur ante Episcopum, & accipiat temporale beneficium loci, & curam animarum, & prælationis benedictionem.

Rogamus ergò in Domino, tam præsentem fratrem nostrum, quàm & successores Episcopos nostros, & sanctorum Canonum auctoritate interdiximus, & nostra, ne quis hoc donatium libertatis violare aut corrumpere præsumat. Siquis scienter huius nostræ institutionis priuilegium infregerit, excommunicationi subiaceat.....

Actum Atrebatim in Synodo, in basilica B. Mariæ semper Virginis, Dominæ nostræ, anno videlicet Dei Christi M. XCVII. Indictione 1097.  
V. XII. Kal. Nouembris.

## NOTATIONES.

Cono) presbyter, eiusque magister Heldemarus, auctores ac conditores fuere cœnobij Aroasiensis: à quo postea viuendi formulam & nomen accepit reformatam Congregatio Aroasiensis Canonico-regularium: de qua Iacobus Vitriacus in Historia sua Occidentali agit, & nos in Chronico Canonico-regularium.

ARIDAGAMANTIA) hodie est Aroasia, vulgò *Eroage*.

## CAPVT XLV.

*Wenemarus Castellanus Gandensis fundat Abbatiam Canonico-regularium in Burnehem, Flandriae municipio, circa annum 1100.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego WENEMARVS Gandensis Castellanus ecclesiam apud *Burnehem*, cum membris suis, videlicet *Hauesledunck* & *Hingen*, feci libertate donari: ita vt Canonici inibi manentes duos presbyteros, non de claustro, sed alios officio congruos, apud *Hauesledunck* constituent, quemadmodum tempore aui mei, imò ab ipso auo meo *Fulcardo* sub banno confirmatum est, vnum qui apud *Burnehem*.....

Notandum sanè, quia ad vsus Canonico-regularium ibidem regularium omnes decimas de *Martinesforthe* ad *Burnehem* pertinentes, & v-

M. 3

num



num mansum terræ inter *Broclant* & *Gestlant*, præter ius ad dicum, nec non & vnum sach ad turuos & ad siluam, vnum stele in Valham ad pisces, in *Spiringa* eandem picandi potestatem, quam illius loci dominus habet, dedi.

Dedi & prædium in *Bucholt*, quod ab Abbate S. Laurentij Leodicensis, & à fratribus emi, cum CC. ouibus, minùs decem. Quod Malgotus inde habet in feodum, & *Erplant*, id est, terra accrescens, exceptum est: sed istud idem exceptum, ad seruitium capellæ meæ, ibidem in *Burnchem* Domino dedicaui.

Nomina autem testium subscribi fecimus.

Signum Ansboldi Præpositi.

S. Fulcardi Decani.

S. Ogeri Capellani.

S. Menardi clerici, Benzonis, Theoderici, Onulfi, Winczonis, Sigeri.

### NOTATIONES.

**BURNEHEM**) sen *Bornehem*, vulgò *Bornhem*, est amplum Flan-  
driæ municipium, Baroniæ titulo clarum, cum arce, ad veterem  
Scaldis alueum. Fuit eo loco olim Canonicorum regularium Ab-  
batia, à *Wenemaro* Castellano Gandensi fundata: cuius hodieque  
vestigia ac rudera visuntur iuxta templum parochiale. Hodie in  
*Bornhem* est Præpositura seu cella Benedictinorum, ab *Affligemio*  
dependens.

**HAYESLESDVNCK**) hodie *Haesdonck*, vicus *Bornhemio* vicinus.

**HINGEN**) vicus eodem in tractu, Baroniæ titulo nunc clarus.

**SPIRINGA**) fortè *Spirinckbroeck* hodie.

**BYCHOLT**) nunc *Buggenhoudt*, vt suspicor, vicus olim *Nassauia*,  
nunc *Bournonvillia* gentis: vbi quondam fuit cella seu Prioratus  
monachorum cœnobij *Affligemiensis*.

CAPVT



## C A P V T X L V I.

*Bornhemienſis Abbatia fundationem ac dotationem, à VVenemaro factam, Manasses Cameracensis Episcopus approbat, an. 1101.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego MANASSES, seruus seruorum Dei, gratia Dei Cameracensium Episcopus, Ecclesiæ filijs, vbicunque locorum manentibus, salutem & episcopalem in Christo benedictionem.

Omnibus fide catholica præmunitis vt pateat desiderio, quoniam ecclesiam apud *Bornehem* cum suis appenditijs, amoris Dei gratia, & post Deum WENEMARI Gandensis Castellani, libertate donauit: ita vt fraternitas regularis inibi vigeret & maneret ab omni iugo sæculari nunc & in perpetuum absoluta.

Et ne posteros lateat ipsius rei principium, altius & vberius rem exprimere censemus idoneum.

WENEMARVS prædictus Castellanus omnes decimas de *Santforde* ad *Bornehem* pertinentes, pro vxoris suæ anima LYDGARDIS, suæque omniumque suorum parentum, ad opus fraternitatis, meo consensu, donauit & stabiliiuit.

Locum etiam nomine *Seele* in *Wallam* ad pisces, nec non etiam totum prædium, quod ab Abbate S. Laurentij Leodiensis in *Buckholt* emit, eidem Ecclesiæ dedicauit in Domino, munus & impressum nostri sigilli patrocínio.

Notandum etiam vnum mansum inter *Gestlande* & *Bruclande* eum ibidem dedisse.

Statuimus etiam episcopali edicto, vt ipsa fraternitas inter se canonicè eligat Prælatum, quem Episcopus cura vestiatur animarum. Statuimus quoque oleum infirmorum, oleum baptismatis, & sanctum chrisma ab Episcopo vel à ministris eius, eis nullatenus abnegandum.

Decernimus ergò, vt nulli omnino hominum liceat eandem ecclesiam temerè perturbare, aut de rebus ei datis aut dandis aliquid inuadere. Quod si quis fecerit, nisi prima emendatus satisfactione fuerit, æterni anathematis vinculo subiaceat.

Concessio quidem ab Episcopo huius affirmationis nouissime facta



1101. facta & sancita est Gandavi VI. Nonas Octobris. Actum ab Incarnatione Domini millesimo centesimo primo anno, regnante Philippo Francorum Rege, episcopante Manasse Cameracensi Pontifice, Roberto, Roberti filio, in Comitatu agente; presentibus testibus hic subscriptis.

Signum Rodulphi Archidiaconi,  
 S. Erleboldi Præpositi.  
 S. Adelberonis Decani.  
 S. Ancradi Abbatis Eihamensis.  
 S. Fulgentij Abbatis noui monasterij.  
 S. Lamberti Abbatis Crispiniensis.  
 S. Alberti Abbatis Hasnoniensis.  
 S. Snellardi Abbatis Dicluennensis.  
 S. Sigeri Abbatis S. Petri.  
 S. Wefrici Abbatis S. Bauonis.  
 S. Wotolini Præpositi.  
 S. Walboldi Præpositi.  
 S. Lamberti Tornacensis Archidiaconi.  
 S. Stephani de Bolar.  
 S. Walteri de Brosella.  
 S. Astrici de Monta.

Ego Anselmus Episcopi Cameracensis Cancellarius scripsi & subscripsi.

#### NOTATIONES.

NOVI monasterij) hoc est, Affligemiensis monasterij Abbas Fulgentius.

S. PETRI) in monte Blandinio, prope Gandauum, Abbas Petrus.

#### CAPVT XLVII.

*Aquarum Curtarum Abbatia in Artesia, non procul ab Aroasia, per Odonem presbyterum & eremitam, instituitur, & à Lamberto Atrebatensi Episcopo confirmatur anno 1101.*

**I**N nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amèn. Ego LAMBERTVS Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, gaudens de religiosa



ligiosa conuersatione & eremitica tua, reuerendissime frater & conpresbyter Odo, desiderio desideramus paci & quieti tuæ, tam præsentibus temporibus quàm & futuris, providere.

Vnde iustas petitiones tuas, & Balduini Decani nostri pio affectu prosequentes, & te & successores tuos, religiosè & canonicè inibi victuros, hac donamus libertate, vt tantummodo Episcopo respondeatis, & in manu eius, in libertate spiritus permaneatis.

Ecclesiam itaque illam, quam deuotio tua ædificauit in loco solitudinis, qui dicitur Aiulcurtis, tibi & successoribus tuis, in proposito religionis perseuerantibus, liberè possidendam contradimus, & curam animarum confratrum tuorum eremitarum tibi committimus, & decimam agri eidem ecclesiæ circumiacentis, quam fratres eremite incolunt, annuimus.

Rogamus autem in Domino tam præsentibus fratres nostros, quàm & successores Episcopos nostros, & sanctorum Canonum auctoritate interdiciamus & nostra, ne quis hoc donatiuum libertatis violare aut corrumpere præsumat. Si quis scienter huius nostræ institutionis priuilegium infregerit, excommunicationi subiaceat, quoad vsque resipuerit, & Ecclesiæ Dei satisfecerit. Fiat, fiat, à Synodo acclamatum.

Actum Atrebatim in Synodo in Ecclesia B. Mariæ semper Virginis, anno Dei Christi M. Cl. Indictione VII. XVII. Kal. Nouembris. ITOT.

### NOTATIO.

Odo ) auctor seu fundator Abbatia & Congregationis Aroasiensis, itemque monasterij Aquarum curtarum, quod *Eaucourt* vulgò nuncupant. Vide supra cap. 45.

### CAPVT XLVIII.

*Prioratus S. Georgij, prope Hesdinium Artesia opidum, Abbatia Aquicinclina attribuitur, & à Paschali II. Papa id confirmatur, anno 1112.*

PASCHALIS Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio ALVISO, Abbati Aquicinensis monasterij, eiusque successoribus regulariter substituendis.

N

Officij



Officij nostri nos hortatur auctoritas, pro ecclesiarum statu sollicitos esse, & quæ rectè statuta sunt, stabilire. Proinde venerabilis fratris nostri Ioannis Morinensis Episcopi cessionem vobis vestroque monasterio factam, litteris præsentibus confirmamus.

Is enim B. Georgij martyris ecclesiam, iuxta caltrum Hefdinium sitam, tibi tuisque successoribus, in cellam omni tempore possidendam concessit, & assertione chirographi confirmavit, cum omnibus videlicet terris, pratis, siluis, aquis & molendinis, vel alijs quibuscumque redditibus, quæ tam ab INGELRAMNO Comite, & Ernulfo Hefdiniensi, & Nicolao milite, quàm & ab alijs fidelibus eidem ecclesiæ collata sunt. Siquidem id ipsum prædecessor suus, bonæ memoriæ Gerardus, Canonorum ecclesiæ suæ consilio & voluntate, concesserat.

Id ipsum igitur & nos præsentis decreti, auctoritate sancimus, salva nimirum Teruanensis ecclesiæ iustitia, sicut supradicti Episcopi chirographo delibatum agnoscitur. Altaria quoque duo, scilicet de *Fraisnoith* & *Huby*, sicut ab eodem Episcopo supradictæ ecclesiæ S. Georgij concessa sunt, concedimus, & decreti præsentis auctoritate firmamus.

Porro sepulturam eiusdem loci ab omni exactione liberam fore decernimus, vt eorum, qui illic sepeliri deliberauerint, deuotioni & extremæ voluntati, nisi fortè sint excommunicati, nullus obstat.

1112. Data Laterani XIII. Kal. Iulij, Indictione V. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XII.

### NOTATIO.

S. GEORGII) cella seu Prioratus, anno 1072. ab Ingelramno Comite, Ernulfo Hefdiniensi, & Nicolao Equite fundatus ac doratus, hodieque floret, haut procul à ruinis seu ruderibus veteris opidi Hefdiniensis, quod patrum memoria nostri exciderunt; Hefdinio nouo à fundamentis, loco commodiore, contra Francos excitato.

CAPVT



## CAPVT XLIX.

*Burchardus Cameracensis Episcopus Bornhemiensem Abbatiam, inopia laborantem, Fulgentio Abbati Affligemiensi, eiusque successoribus perpetuò regendam, an. 1120. committit, suppressa S. Augustini regula.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. BURGARDVS Dei miseratione Cameracensium Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

Scriptura docente, quæ ait; Si bene feceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa, ex officio pastorali præcipuè monemur, vt erogationes nostræ auctenticis & religiosis personis adscribantur.

Nos igitur Bornhemensis ecclesiæ, ferè ad nihilum redactæ, desolationi condolentes, venerabilem fratrem nostrum Fulgentium, Affligimensis ecclesiæ Abbatem, & religiosum ecclesiæ suæ conuentum super hac necessitate conuenimus, & vt Abbatiam illam sub regula S. Augustini annihilatam, regendam, & sub regula B. Benedicti emendam susciperent, monuimus, rogauimus, petiuimus.

Prece itaque nostrâ tandem exaudita, communicato Ecclesiæ nostræ consilio, præfatam Abbatiam de *Bornhem*, cum appendicijs suis *Hausledunc* & *Hingen*, imò cum capellis *Bereberga* & *Rimenham* Apostolica auctoritate eidem ecclesiæ confirmatis, alodijs etiam & donarijs ibidem assignatis, supplicante fratre nostro Sigefrido Bornhemensi Abbate, fratribus quoque petentibus, tum penuria ingruente, tum vitæ suæ melioratione, præfatæ Affligemensi ecclesiæ, sub regula B. Benedicti permansturam concessimus.

Cùm enim eadem Bornhemensis ecclesiæ à WENEMARO Gandensi Castellano alodijs & donarijs quàm plurimis fundata, & à prædecessore nostro domino Manasse, bonæ recordationis Episcopo, emancipata, Abbate consecrato & fratribus sub regula B. Augustini constitutis, in melius procedere debuisset, ordine penitus annullato, forinsecis commoditatibus destructis, in nihilum fere redacta est.



Ea itaque angariati necessitate, præfatam traditionem canonicè facientes, decreuimus vt prædictam Bornhemensem ecclesiam & libertatem, quam sub regula B. Augustini hætenus tenuerat, Affligemensis ecclesia vltèrius sub regula B. Benedicti libèrè & inconvulsè possideat.

Altare etiam de *Meroecca*, cum appendicio suo *Bergefem* sæpè factæ Affligementi ecclesiæ concessimus: ad arcendas quorumlibet maleuolorum importunitates, data conseruatoribus benedictione, in peruasores anathematis sententiam, quoad resipuerint, promulgamus, atque sub signato canonico testimonio huius decreti paginam sigilli nostri impressione consignamus.

Signum domini Gualteri Archidiaconi.

S. Rudolphi Archidiaconi.

S. Anselmi Archidiaconi.

S. Theodorici Archidiaconi.

S. Erleboldi Præpositi.

S. Hadeguini, Widonis, Radulphi, Errardi, Hugonis, Lamberti, Mazelini, Gualteri, Bernardi, Giranni, Hugonis, Canonorum.

1120. Actum anno Incarnationis Verbi millesimo centesimo vigesimo, Indictione XIV. pontificatus verò domini Burchardi quinto.

Ego Guiriboldus Cancellarius scripsi & subsignaui.

### NOTATIO.

BURGARDVS ) seu Burchardus Cameracensis Episcopus anno  
1120. viuere desijt; vt Waterlofius ipsi coætaneus in Chronico  
ms. Cameracensi, itemque Dodechinus testantur.

CAPVT



## CAPVT L.

*Calixtus II. Papa, petente sorore sua Clementia, Flandria Comitissa, an. 1121. firmat Bornhemensis ecclesie regimen Affligemienfibus commissum.*

**C**ALIXTVS secundus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Fulgentio Abbati, Affligimensis monasterij, quod ad honorem B. Petri Apostolorum principis in Cameracensi diocesi situm est, eiusque successoribus, regulariter substituendis, in perpetuum.

Quæ religionis intuitu statuuntur, inconuulsa debent stabilitate seruari. Siquidem venerabilis frater noster Burgardus, Cameracensis Episcopus, consilio & assensu Archidiaconorum ac reliquorum clericorum ecclesie suæ, consilio etiam & hortatu venerabilis fratris nostri Rodulphi Remensis Archiepiscopi, (sicut in eorum missis ad nos litteris continetur) necnon & rogatu & supplicatione Sifridi Bornhemensis Abbatis & fratrum suorum, Affligimenfium monasterio Bornhemensem commisit ecclesiam, vt in ea deinceps monastici ordinis disciplina, per Dei gratiam, habeatur.

Olim quidem in loco eodem Ordo fuerat canonicus institutus; sed guerris superuenientibus, tanta paupertatis inopia coarctatus est, vt neque Ordinem canonicum conseruare, neque per se in ecclesiastica quoque posset honestate persistere.

Nos itaque tam prædictorum fratrum, quàm & sororis nostræ CLEMENTIÆ, Flandriensium Comitissæ, quæ ipsius loci dispensatrix est, petitionibus annuentes, & de religione vestra plurimum confidentes, prædictæ Bornhemensis ecclesie commissionem præsentis priuilegij pagina confirmamus.

Statuentes, vt auctore Deo, in Affligimensis monasterij vnitatem ac subiectione, sub regula monastica disciplina, in perpetuum perseueret, ita nimirum libera & quieta, sicut antea in Ordine Canonico fuerat, cum altaribus de *Hauesdunc*, *Hingem*, *Gereberga*, *Rimembam*, *Merbecloa*, & cum omnibus, quæ in præsentem legitime possidet, vel in futurum, largiente Deo, iuste atque canonicè poterit adipisci.

Nulli ergò omnino hominum facultas sit, præfatam Bornhemensem



mensẽ ecclesiam à dispositione vel subiectione vestri monasterij remouere, seu qualibet occasione subtrahere, possessiones eius auferre, vel temerarijs vexationibus fatigare: sed ita sub vestro monasterio maneat, sicut à prædicto fratre nostro Burgardo, diœcesano Episcopo, constitutum, & ipsius chirographo confirmatum est.

Si qua igitur in futurum cuiuslibet dignitatis ordinisue persona, nostræ huius confirmationis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, honoris & officij sui periculum patiat, aut excommunicationis ultione plectatur; nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Qui verò conseruator exstiterit, Dei omnipotentis, & Apostolorum eius Petri & Pauli benedictionem, & gratiam consequatur, amen, amen, amen.

Ego CALIXTVS Catholice ecclesie Episcopus laudauit.

Datum apud S. Petrum, per manum Chryfogoni, S. Romanæ Ecclesie Diaconi Cardinalis & Bibliothecarij, III. Februarij, Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo vigesimo primo, Pontificatus autem domini Calixti secundi Papæ tertio,

### NOTATIO.

CLEMENTIA ) Guilielmi Burgundiæ Comitis filia, Calixti II. Pontificis Romani soror, primùm Roberto II. Hierosolymitano, Flandriæ Comiti, post Godefrido Barbato, Lotharingiæ Brabantique Duci, nupta fuit.

### CAPVT LI.

*Henniacensis ecclesia (qua est hodie Canoniorum regularium Abbatia, in diœcesi Atrebatensi) ab omni seculari potestate liberatur, an. 1123. per Carolum Bonum Flandriæ Comitem.*

**I**N nomine sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen.

Ego KAROLVS, Dei gratia Flandrensiũ Comes, notifico omnibus Christianis, tam futuris quàm præsentibus, quòd Balduinus Dapifer meus, & Balduinus, filius Lethardi, & vxor eius Gerberga, con-



concessione Arnulphi de Arda, ecclesiam S. Martini de Henniaco (quæ hætenus sub eorum potestate, quasi ancilla vānalis & misera lugebat) diuino instinctu inspirati, ob remissionem peccatorum suorum, ab omni sæculari potestate absolutam & liberam fecerunt, eamque Deo & S. Martino, ac domino Stephano, eiusdem ecclesiæ Abbati, eiusque successoribus, ibidem Deo secundum regulam B. Augustini, & instituta ecclesiæ S. Nicolai de Aridagamantia victuris, disponendam & ordinandam liberè reddiderunt.

Hanc igitur libertatem & donationem, ob remissionem peccatorum meorum, concedo, & sigilli mei impressione confirmo. Huius verò confirmationis testes sunt,

Robertus Aduocatus,

Guillelmus filius eius,

Guillelmus nepos præfati Comitis. . . . .

Hæc charta data est apud Atrebatum à præfato Comite III. Idus Decembris, anno Domini M. C. XXIII.

1123.

## N O T A T I O N E S.

**HENNEACVM**) vulgò *Hennin Lietard*, amplum est Artesiæ municipium, iure opidi gaudens; à quo nobilissima familia Hennina nomen traxit. Henniaco titulo Comitatus ornauit Philippus II. Rex Catholicus, & possidetur nunc à Duce Bournonvillio.

**ABBATIA**) Henniaco subest Congregationi Aroasiensi, seu S. Nicolai de Aridagamantia: de qua vide supra cap. 40.

## C A P V T L I I.

*Folcoldus Berna dominus, eiusque vxor Bessela, fundant Abbatiam Bernensem, ord. Premonstratensis, in consinibus Hollandiæ & Brabantia. Id suo diplomate Andreas Episcopus Ultraiectinus firmat an. 1134.*

**I**N nomine Domini, amen. **ANDREAS** misericordia Dei, quæ vocat ea quæ non sunt, ecclesiæ Traiectensis Episcopus.

Quo studio, quæue sollicitudine sit inuigilandum his, qui sibi nihil reliquerunt, vt nudi sequerentur nudum Christum, pietas fidelium



lium nouit, quæ pelles animalium tanquam potestates sublimes, ad excipiendas tempestates, tabernaculo supposit, quatenus intra tabernaculum purpura contemplatiuorum tranquilla pace respondeat, & lumen honestæ vitæ circumquaque diffundat.

Et nos igitur, pro posse nostro, hoc æmulantes, præsentî scripto, præsentibus & posteris edicimus, quod *FOLCOLDVS DE BERNA*, vir liber & diues, sed & *vxor eius BESSELA*, inspiratione Dei, sanè intelligentes, cedros Libani, quas plantauit Dominus, nidum habere passeribus, ad honorem Dei. & Theotocos beatæ Virginis Mariæ, Abbati Roberto de Insula eiusdem beatæ Matris, ipsam *BERNAM* cum omnibus suis appertinentijs, *Maesmond* quoque cum omnibus suis attinentijs, necnon & *Erthepe*, quæ est in Tessandria, cum omnibus suis attinentijs, sed & *Alsfurge*, cum omnibus suis attinentijs, item etiam *Mersberch* cum omnibus vsibus suis, quos in sæculo uiuentes inibi iure obtinuerunt, per manus nostras tradiderunt.

Abbas autem præmemoratus ex Canonicis suis Abbatem idoneum excipiens, superadditis ei conseruis & commilitonibus Dei, prædictæ Bernæ per manus nostras imposuit, ecclesiamque illam ab omni sua vel successorum suorum obedientia & commodo temporali penitus absolutam nostro regimini & obedientiæ substituit, nihil iuris aut respectus in ecclesia sibi prædicta reseruans: præterquam si minus ordinatè quid egerint, coadiuuante tunc loci præsentè Abbate, commonitione fraterna, secundum tenorem matricis ecclesiæ, corripiat & emendet.

Nos item prædictam ecclesiam, ab omni tam nostra quàm fidelium nostrorum exactione liberam, ex hoc nunc edicimus & facimus, nihil excipientes, præter orationes & obedientiam filialem.

Sepulturam etiam & inunctionem infirmorum suorum tantum, sed & ipsum oleum, secundum quod ecclesiæ de Insula prædicta concessimus, concedimus & isti.

Absque consensu verò aut conductu sacerdotum comprouincialium, nullum ex ipsorum parochianis excipient mortuum, vel sepelient.

Et ne quid contractum legibus hæc inscriptio minus habeat, tempus ac testes assignauimus, & sigilli nostri impressione firmauimus, multiplicationem in omni benedictione qui ad prædictam ecclesiam ea quæ iusta sunt custodiunt, inuasoribus autem manus anathematis



thematis & æternæ damnationis obtendentes.

Et hæc quidem gesta sunt Vnigeniti æterni anno Incarnationis millesimo centesimo tricesimo quarto, Indictione XII. anno verò Lotharij decimo, Imperij secundo eiusdem, episcopatus autem mei septimo, præsentibus testibus subscriptis; 1134.

Harberto maioris ecclesiæ Præposito,

Luberto eiusdem ecclesiæ Decano,

Hermanno Præposito S. Bonifacij,

Luberto Decano de S. Petro,

*Canonicis.*

Ottone, Ascellino, Alardo,

Conrado, Alberone, Chrysantho,

Blitero, Guilelmo.

*Liberis hominibus.*

Arnoldo Iuvene Comite de Cliue.

Gerungo de Asper.

Guilelmo filio Comitis Guilelmi.

*Ministerialibus.*

Hereboldo, Rutherico, Giselberto,

Alphardo Sculteto, Arnoldo Castellano;

NOTATIONES.

BERNA ) Canonicorum regularium ord. Præmonstratensis Abbatia, primo lapide à Silua-Ducis Brabantia: vrbe episcopali, olim stetit: nunc iacet, per Calvinianos excisa. Abbas porro cum sodalibus suis Siluam-Ducis domicilium transtulit.

INSULA B. Mariæ) vulgò *Marieverdt*, præclara quondam eiusdem ord. Præmonstratensis Abbatia, VII. lapide à Berna, per eosdem Religionis auitæ hostes deleta, similiter suos nunc cineres spectat. De illius origine legi in Chronico nostro Præmonstratensi.

TESSANDRIA) seu Taxandria, nunc *Peelandt*, cum vicino tractu Campaniæ Brabantia: ac Leodicensis. Hinc *Tessenderlo*, amplum, municipium, in Brabantia: & Leodicensis agri confinibus, secundo lapide à Disthemio opido situm.

Cuius loci Ammianus Marcellinus meminit: Anno Christi 358. Iulianus Cæsar (cognomento Apostata) Lutetia Parisiorum, vbi hie-mauerat,



mauerat, discedens, contendit aduersus hostes, petitque inquit, primos omnium Francos, videlicet, quos consuetudo Salios appellauit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere, prælicenter. Cui, cum Tungros venisset, occurrit legatio prædictorum, opinantium reperiri Imperatorem etiam tum in hibernis; pacem sub hac lege prætendens, ut quiescentes eos tanquam in suis nec lacefceret quisquam, nec vexaret.

Ex qua Amm. Marcellini narratione discimus, Francos Salios, Iuliani Apostatae auo, in Taxandria, & vicino Tungrorum tractu sedes suas habuisse, indeque progressos, totam paulatim Galliam, pulsus Romanis, occupasse.

ARNOLDVS iuuenis Comes de CLIVE.) Antiquitatum Cliuensium studiosi notent, Arnoldum Comitem Cliensem anno Christi 1134. iuuenili ætate floruisse.

## CAPVT LIII.

*Godefridus Barbatus, Lotharingia inferioris & Brabantia Dux, anno 1134. fundat Præposituram Capellensem, quæ est Benedictinorum, olim extra, nunc intra muros urbis Bruxellenfis.*

**I**N nomine Domini nostri Iesu Christi. Ego GODEFRIDVS Lotharingia Dux, ab ecclesiarum Doctoribus intelligens omnium hominum salutem in eleemosynarum largitione plurimum constare: Principibus verò huius sæculi, utpote qui amplius acceperunt à Deo, ut retribuunt ei, id ipsum magis congruere, eò quod eleemofyna peccatum exstinguat, & animam viuificet; & quia Prophetæ Danielis testimonio Rex quondam ille Babylonicus eleemosynis à peccatis redimi potuisset, si tamen acquieuisset doctrinis horum & exemplis, operam dedi, & quorundam fidelium meorum salubri vsus consilio, quæ aure perceperam, opere adimplere curavi.

Denique causa salutis animæ meæ, patrumque meorum ac filiorum, a lodium quoddam meum, Bruxellæ opido adiacens, & capellam in eo ad honorem Domini Sepulcri, Domini que genitricis Mariæ constructam, cum omnibus suis appendiciis Parnino Abbati ac monachis S. Sepulcri Cameracensis ecclesiæ in eleemosynam dedi:



dedi: in tantum videlicet liberè, vt nullus clericorum, sine laicorum, aut potentum, illud omnino in perpetuum violare præsumat, vel sui iuris aliquid ex eo vindicare queat.

Ea tamen consideratione, vt ibidem Deo & eius Genetrici, die noctuque obsequia diuina impendantur, necnon & obitus mei memoria, in prælibata capitali ecclesia à fratribus annualiter habeatur. Et vt hæc donatio mea in æternum inconvulsa permaneat, sigilli mei impressione ac legitimorum testium subscriptione, confirmo & corroboro.

Signum GODEFRIDI Ducis.

S. filiorum eius Godefridi & Henrici, quorum consensu hæc peregit.

*Signa liberorum.*

Henrici de Birbeca.

Willermi & fratris eius Henrici de Dungleberga.

Sigeri de Wauefa.

S. Rodulfi Leodiensis Canonici & Capellani.

S. Waldrici Capellani.

S. Godezonis Capellani.

S. Arnulfi Clerici.

S. Franconis Castellani & Dapiferi de Bruxella.

S. Franconis Pincernæ de Issa.

S. Arnulfi Dapiferi de Louanio.

S. Gozevini Pincernæ.

S. Alardi fratris sui.

S. Amulrici militis.

S. Franconis Ministri de Bruxella, cuius labore & industria hæc suggesta sunt.

S. Radulfi fratris eius.

S. Gozevini Ministri.

S. Henrici Monetarij.

Signa ceterorum fidelium meorum de mea curia.

*Signa quorundam nobilium.*

Walteri Rodestoc & filiorum eius.

Walteri Anglici.

Stephani Duri.

Hugonis Rampart.



Actum apud ISSAM mense Decembri XIII. Kalend. Ianuarij,  
 1134. anno Dominicę Incarnationis M. C. XXXIV. Indictione XIII. Im-  
 perij verò domini Lotharij Regis anno IX. & IV. Liethardi Came-  
 racensis Episcopi.

## NOTATIONES.

Donationem istam idem Godefridus Dux confirmavit anno M.  
 C. XXXVIII. Indictione II. epacta XVIII. Concurrente V. Imperij  
 Conradi Cęsarıs Augusti primo, præfulatus Nicolai Cameracen-  
 sium Episcopi secundo.

*Ische.* ISSA) Sic in manuscriptis exemplaribus passim. Designatur au-  
 tem Isca, vt arbitror, patria Iusti Lipsij, amplum Brabantię municipi-  
 um, secundo lapide à Bruxella situm.

## CAPVT LIV.

*Canonicorum Antuerpiensium migrationem, seu translationem ex  
 basilica S. Michaëlis ad basilicam S. Mariae, anno 1124.  
 auctoritate Burchardi Cameracensis Episcopi factam,  
 Lietardus eiusdem urbis Episcopus confir-  
 mat anno 1135.*

**I**N nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. LIETARDVS diuinã  
 fauente clementia, Cameracensis Episcopus, omnium tam futu-  
 rorum quàm præsentium generationi in perpetuum.

Quia commissis nobis ecclesijs vigilantı cura nos semper inten-  
 dere, nostrę salutı necessarium non dubitamus, non solum à præ-  
 decessoribus nostris retroacta bene disposita corroborare, verum et-  
 iam ex rebus dispositioni nostrę concessis augmentare, nostrę sal-  
 uationi congruum speramus.

Quapropter ecclesiam B. Marię Dei genetricis in burgo Antuer-  
 pienli sitam, ab ecclesia S. Michaëlis in eodem burgo fundata, per  
 prædecessorem nostrum Burchardum Episcopum, fauentibus, imò  
 petentibus eiusdem ecclesię Præposito & fratribus, cum integritate  
 Præpositurę & beneficiorum, videlicet prædijs seu mancipijs,  
 quę



quæ usque ad hæc tempora ecclesia illa possederat, necnon cum omnibus appenditijs, capella scilicet S. Walburgis, quæ est in eodem burgo, & capella *Osheren, Berendrecht, Linlo, Santfliet*, atque omnibus, quæ infra ambitum præfatæ parochiæ continentur, decimis, translata, nos quoque, sicut prædictus prædecessor noster ordinavit, approbantes, nostræ auctoritatis testimonio confirmamus.

Decretum est siquidem in priori memorati Pontificis privilegio, ut Præpositus ecclesiæ S. Mariæ, à fratribus canonicè electus, canonico & catholico Cameracensium Episcopo præsentatus, curam Canonicorum de manu ipsius sine contradictione suscipiat, & more Cameracensium Præpositorum debitam ei obedientiam exsoluat.

Ad hanc sanè Canonicorum institutionem perpetuò munendam, eandem ligandi soluendique potestatem, quam mater nostra Cameracensis ecclesia in peruasores suos habet, persæpè dictæ ecclesiæ S. Mariæ in malefactores suos concedimus. Parochiales verò sacerdotes ipsorum, à Præposito & Canonicis substitutos, curam à nobis seu ministris nostris suscipere decernimus.

Petitione nec minùs GODEFRIDI gloriosi Lotharingiæ Ducis & Marchionis, duas partes manipulorum decimæ ad Antuerpiam, & vniuersum eius parochiæ ambitum pertinentes, à prædecessore suo illustri memorati GODEFRIDO Duce & postea Ierosolymitano Rege, ecclesiæ S. Michaëlis traditas, quia minùs iustè ipse eas subtraxerat, eidem ecclesiæ recognouit, & per manum Henrici quarti Romanorum Imperatoris assignatas, prædecessoris quoque nostri privilegio in translata S. Mariæ ecclesiam confirmatas, necnon serenissimi LOTHARII tertij Romanorum Imperatoris inuictissimi charta in eadem ecclesia corroboratas, nostri etiam decreti auctoritate eadem munimus.

*God.  
Bullonius.*

Prædicti verò fratres sæpe dictæ ecclesiæ S. Mariæ, ex quorum dispositione cum dignitate & tenore prioris libertatis, tota Antverpiensis pendebat & pendet parochia, transacto non multo tempore, fratres qui in ecclesia B. Michaëlis, sub regula S. Augustini deseruiunt, ut commissum sibi onus humero mutuæ fraternitatis secum portarent, per dominum NORTBERTVM, summæ religionis & eiusdem vitæ professionis virum, ad se vocauerunt, eique ecclesiam S. Michaëlis supradictam liberam contradentes, ad eam, in qua nunc Domino seruiunt, gloriosæ Dei genitricis Mariæ ecclesiam, cum

*S. Norbertus.*



integritate Præposituræ & beneficiorum, vt præmissum est, transierunt.

Vt autem eos pondus & æstus secum portantes consolationibus concessorum sibi beneficiorum confouerent, conseruatis in suos usus, Natalitij Christi die, & Purificationis S. Mariæ, exceptis quæ in eodem die ibi offeruntur candelis, Paschæ quoque, seu Ascensionis, Pentecostes, siue omnium Sanctorum, necnon omnium Commemorationis animarum oblationibus: reliquas S. Michaelis fratribus, atque ecclesiæ S. Mariæ Magdalene, sub eodem conditionis tenore, sororibus per omne tempus concesserunt, mutuam in inuicem orationem communicantes, & in perpetuum conseruantes fraternitatem, & in omnibus necessitatibus auxiliandi caritatiuam supportationem.

Cupientes præterea sibi & suis successoribus pacis vnitatem seruare & relinquere, quia sepeliendi in vtroque coemeterio concessa est licentia, statutum est, vt quicumque infirmus ex parochianis Antuerpiensibus, sub regula memoratorum fratrum S. Michaelis Deo deseruire desiderat, licentiam à parochiali sacerdote S. Mariæ sine contradictione accipiat, & si viuens ad eos introierit accepto ipsorum habitu, exequiarum funeris oblationes, fratres S. Michaelis, ad quos transit, habeant: sin autem, sicut de alijs parochianis, ad fratres S. Mariæ redeant.

Communicare quoque infirmos & oleo inungere, nisi qui in sue vitæ habitu inueniuntur, fratribus S. Michaelis non licebit.

Baptismus autem celeberrimi temporis Paschæ & Pentecostes in vtraque seruabitur ecclesia. Reliquo verò tempore parochialis sacerdos S. Mariæ baptizandis prouidebit.

Pro commemoratione itaque suæ libertatis vtraque ecclesia parili libertatis ornata persoluet Cameracensis canonico & catholico Præsuli aureum nummum Antuerpiensis monetæ ac ponderis, singulis annis in festo S. Lucæ, vniuerso prioris exigentiæ & iustitiæ dimisso debito.

Quæcumque ergò Pontificum seu Principum largitione, imò quorumlibet fidelium collatione memoratis ecclesijs oblata sunt, vel vltèrius conferentur, huius nostri decreti munimento eisdem, ad usus Canoniorum, confirmamus.

Ne qua verò canonica secularisue persona, processu temporis, in hanc



hanc nostri decreti paginam spiritu nequam moueatur, collata conseruatoribus pace, in peruasores, quoad resipuerint, anathematis exterminium promulgamus, atque nostra subfigillatione, & Canonicoꝝ testium astipulatione confirmamus.

Signum Nicolai Præpositi.

S. Gerardi Archidiaconi & Decani.

S. Ioannis Archidiaconi.

S. Theodoti Archidiaconi.

S. Alardi Archidiaconi.

S. Theoderici Archidiaconi.

S. Roberti Cantoris.

*Canonicorum.*

Hugonis Gerinbordi,

Lamberti, Guidonis,

Bartholomæi, Vincentij, Raduardi.

Actum Incarnationis Dominica anno millesimo centesimo tricesimo quinto, Indictione vndecima, præsulatus domini Lietardi IV. in nomine Domini feliciter, amen.

1135.

Ego Guerinboldus Cancellarius recognoui.

### NOTATIONES.

BYCHARDI) Cameracensis Episcopi diploma de translatione Canonicoꝝ Antuerpiensium ex templo S. Michaelis ad templum B. Mariæ, quod nunc est cathedrale, existat in nostro Codice donationum piarum cap. 78.

S. WALBURGIS) capella, in veteri burgo Antuerpiensi sita, honore parochialis ecclesiæ an. 1478. per Sixtum IV. Papam aucta est, petentibus Canonicoꝝ Antuerpiensibus.

S. NORBERTVS) fundator ord. Præmonstratensis, obiit Archiepiscopus Magdeburgensis an. 1134.

SORORIBVS.) vt apud Brigittinos, sic & apud Præmonstratenses olim duplicia multa fuere monasteria seu claustra, virorum scilicet & virginum, muris distincta.

CAPVT



## CAPVT LV.

*Theodericus Alsatius, Flandriæ Comes, eiusque coniux Suanahildis, varia prædia an. 1136. dant ecclesiæ Trunciniensi, quæ est Abbatia ord. Præmonstratensis prope Gandauum.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego THEODERICVS Dei gratia Flandriæ Comes, diuina inspiratione admonitus, fidelium quoque Principum, qui ecclesias Dei fundauerunt, & rebus suis ditauerunt, exempla secutus, ob remissionem peccatorum meorum, & salutem animæ meæ, & coniugis meæ SVANAHILDIS Comitissæ, prædecessorumque meorum Flandriæ Comitum:

Locum quendam sacre religioni congruum, in fundo Wasia situm, inter siluam, quæ dicitur *Conegeffurst* & villam *Bardamara*, nunc *Salechem* vulgò nominatum, S. Trinitati, & perpetuæ Virgini Dei genitrici Mariæ, necnon S. Ioanni Euangelistæ, & omnibus Sanctis omnimodis liberum obtuli, in vsus fratrum Regularium, secundum regulam beati Augustini ibidem Deo seruientium.

Contradidi etiam illum locum, qui dicitur *Hulsterloe*, cum siluis & *Moer*, & pratis, & pascuis, & cæteris appenditijs inter prædicta loca sitis, & vsque ad circumiacentes parochias porrectis.

Hoc autem donum feci petitione domini *Iuvani*, eiusdem loci fundatoris, hominis mei, cuius hæc feoda fuerunt.

Et quia piium est sacratis Deo locis cautelam pacis & quietis providere, statui ne aliquis in posterum locum ipsum, fratres, & homines ad eos pertinentes iniustus vexationibus inquietare præsumat.

Addidi etiam, ne quis Aduocatiæ in his prædictis datis habeat, præter Comitem Flandriæ, vel eum, qui dominium Wasia tenuerit à Comite. Quod si & ipse prædictos fratres in aliquo temerè grauauerit, & admonitus corrigere neglexerit, ipsam Aduocatiæ in perpetuo amittat: & fratres, & omnia sua, postmodum sub defensione Comitis securi subsistant.

Denique vt hæc prædicta rata & inconvulsa maneant, sigilli mei impressione, & testium subscriptione confirmare præcepi.

Signum Rogeri Brugensis præpositi.

S. Rober-



S. Roberti.....

## NOTATIONES.

TRUNCINIVM) *Dronghen*, Abbatia ordinis Præmonstratensis, primo lapide à Gandauo olim sita, per Calvinianos nostra ætate est euersa. Abbas & religiosi nunc in vrbe Gandensi domicilium habent.

HVLSTERLO) est vicus Wasia, haut procul à Kildrechtio situs.

IUVANVS) seu Iuanus fuit Comes Alostanus, gener Theoderici Alsatij Flandriæ Comitis. Iuani diploma, huc ipectans, reperies in nostro Codice Donationum piarum cap. 94.

Rex Catholicus, tamquam Comes Alostanus, est Aduocatus seu protector Ecclesiæ Cameracensis. Quo titulo Carolus V. Imperator arcem, ad muros vrbis Cameracensis, in monte ædificandam curauit, aduersus Gallos: quo loco olim stetit basilica & collegium Canoniorum S. Gaugerici, quod in urbem inde est translatum.

## CAPVT LVI.

*Xenodochium seu Hospitale beatae Mariæ & XII. Apostolorum, in vrbe Bruxellensi, à Rislede matrona fundatum, tabulis Godefridi Barbatæ Lotharingiæ Brabantiaque Ducis firmatur ac roboratur, anno 1138.*

**I**N nomine summæ & indiuiduæ Trinitatis. Notum sit tam futuris quàm presentibus, quòd matrona quædam RISELDES videlicet locum quendam atrio S. Michaelis, sanctæque Gudilæ continuum, omniq; iure hereditario liberum, in spem æternæ retributionis, ad vsus pauperum, Alberto Bruxellensi Parochiano atque Canonico tribuit, in quo ipse domum hospitalitatis, in honore sanctæ Mariæ semper Virginis, & duodecim Apostolorum,

P

rum,



rum, impensa rerum suarum, à principio fundauit.

Cui adhuc consolatione temporalium carenti, quidam fidelium diuinitus inspirati, manum benignitatis extendunt, & partem patrimonij sui, ad recreationem pauperum intulerunt, Fastradis curtem vnam, Frideburgis vnam, Euervvinus Carens bonarium culturae, Hugo dimidium bonarium, Theodericus de Molla bonarium & dimidium, Oda, quae dicebatur Rufa, dimidium bonarium, Elterus quartam partem bonarij, Euervvinus de Scarenbeca vnum bonarium prati, vnum culturae, tres modios annonae de molendino, & partem decimae in *Haren*.

Ijs se sic habentibus, & Alberto, bonae memoriae viro, viam vniuersae carnis ingresso, ego Folbertus, Christianae Religionis professor minimus, tam ex praecepto Godefridi Ducis Lotharingiae, quam exhortatione Burchardi Episcopi, & vtriusque sexus petitione populi, praefatam domum procurandam suscepi: cui sollicitudinem & laborem, ad honorem Dei & salutem animae meae, prout potui, vigilantius impendi.

Eidem Hospitali praefatus Episcopus, Deo inspirante, & nostra admonitione inductus, reditus altaris, quod est in *Etterbeke*, ad vsus pauperum, pro salute animae suae, assignauit, & habendos in perpetuum canonica auctoritate confirmauit.

Quia verò dotes praefati altaris, videlicet viginti vnum bonaria culturae, incuria praecedentium personarum, ab eodem alienatae fuerunt, quadraginta duobus & ducentorum quinquaginta modiorum annonae impensa, tandem eas Ecclesiae diligenter restitimus.

Præterea sex bonaria, quae ad Godefridum, filium Theoderici, iure hereditario descenderant, ab eodem Godefrido, in praesentia heredum non reclamantium, nouem marcis comparauimus; quibus in potestate prenotati Principis liberè traditis, praefatam domum Hospitalitatis, per manus ipsius, in praesentia multorum, ijs donari imperauimus.

Ijs Euervvinus Diues vnum bonarium, in remissionem suorum peccatorum, addidit: ijs præterea vnum bonarium addidimus, quod ab heredibus Franconis Lupi comparauimus.

Testes & assensum praebentes filij Ducis,

GODEFRIDVS scilicet & HENRICVS.

Testes,



Testes, Waldricus Godeza, Arnoldus, Capellani.

Leoninus Franco castellanus,

Arnoldus Dapifer,

Egebertus de Bigardis, Gerardus Hurat,

Giselmus Franco, Pincerna,

Henricus de Spalt, Euvvinus de Scarenbecca,

Gosuinus Clibinc, Franco Canus,

Egericus, Arnoldus de Widescat,

Gosvvinus, Balduinus, Meinardus, Scabini.

Actum Bruxellæ, anno verbi Incarnati millesimo centesimo tri- 1138.  
cesimo octavo.

Ego GODEFRIDVS Dux Lotharingæ recognoui, & sigilli mei  
appensione hæc inconnulsa manere volui.

### NOTATIONES.

GODEFRIDVS & Henricus ) Godefridus patri suo Godefrido  
Barbato in Lotharingæ inferioris ac Brabantia Ducatu successit.  
Henricus Affligemij monachum induit : vt cap. sequenti doce-  
bimus.

Hospitale porrò istud XII. Apostolorum, hodie est cœnobium  
S. Gertrudis, prope scalam maiorem templi S. Gudilæ, in quo pau-  
cæ moniales viuunt, cum vetulis aliquot mulierculis pauperculis.  
Fuit olim hospitale sexus vtriusque: an viri sint translati ad vicinum  
Hospitale, quod Bethania dicitur, cuius meis discutiendum relin-  
quo. Cœnobium verò S. Gertrudis etiamnum prædia quædam pos-  
sident in Haren & Etterbeke.

HAREN & Etterbeke ) vici sunt Bruxellis vicini. Ex Etterbeke  
Albertus Pius, Belgarum Princeps, operâ cuiusdam Germani, anno  
circiter 1602. copiosissimum fontem, miro artificio molæ aquariæ,  
deducendum curauit in altiore vrbis Bruxellensis partem, & in  
palatium, hortos, ac parcum ferarum palatio adhærens.

Porrò Godefridus Barbatus non solum Lotharingæ inferioris ac  
Brabantia Dux fuit, sed & Comes Louaniensis, vt & successores  
eius. De primis Comitibus Louaniensibus, libet hîc subnectere ver-  
sus per antiquos, qui apud Iacobum Guisium in mss. Hannonia  
Chronicis tomo 2. lib. 14. cap. 40. exstant.



Sic tua res agitur Dux KAROLE, sicque Ducatum  
 Lotharicum perdis, dum tua regna petis.  
 Filius OTTO tamen tibi Dux succedit in illo,  
 Quem sibi confirmat Imperialis apex.  
 Huic quoque germanam dant Chronica scripta sororem,  
 Nomine GERBERGAM, quæ mihi visa fuit.  
 Hanc sibi LAMBERTVS despondit, quem Raginerum  
 Hannoniæ Comitem progenuisse ferunt.  
 Huic quoque successit HENRICVS filius: OTTO  
 Quem sequitur frustra; nam sine prole fuit.  
 Hunc quoque subsequitur LAMBERTVS, patruus eius,  
 Qui regit has terras Louaniôque præest.  
 Nonne vides igitur quàm clari sanguinis istos  
 Vena venustavit? Troica quippe fuit.

KAROLVS) Ludouici Francorum Regis filius an. 997. ab Othone II. Imp. primus Dux Lotharingiæ inferioris creatus fuit: teste Sigeberto in Chronico. Ludouico Francorum Rege, stirpis Carolinæ ultimo, sine liberis an. 987. defuncto, Hugo Capetus, Comes Parisiensis, regnum inuasit, Carolo ex paterna & auita successione debitum. Quod dum armis repetit, adeoque Ducatum suum Lotharicum, (vt in bello fieri solet) perdit seu vastat, per fraudem an. 990. à Capeto captus, Aureliæ ad Ligerim anno proxime sequenti obiit.

IN ILLO) supple. Ducatu Lotharico successit OTTO filius, confirmante eodem Imperatore. Obiit OTTO sine liberis an. 1005. vt in Stemmatibus Belgicis cap. 13. latius explicui.

GERBERGA, Ottonis soror, eidem in Comitatu Louaniensi, & in Ducatu Lotharingiæ inferioris Godefridus Improlis, successerunt: vt in citatis Stemmatibus cap. 14. docui.

MIHI VISA.) Itaque auctor coætaneus fuit Gerbergæ.

LAMBERTVS) cognomento Barbatus, Ragineri II. Hannoniæ Comitis filius; vt in recitatis versibus disertè legitur: quod nota dignum. Vxor illi fuit Gerberga.

HENRICVS) eo nomine primus Comes Louaniensis, Lamberti & Gerbergæ filius.

OTTO) infans & sine prole obiit adeoque frustra fuit.

LAMBERTVS) Baldricus, Ottonis patruus, Henrici I. frater,  
 Ottoni



Ottoni in Comitatu Louaniensi successit, vt citato loco in Stemmatibus Belgicis fufius legitur.

QVI REGIT.) Vnebat ergo adhuc auctor sub Baldrico.

TROICA.) Vt Hispani, Veneti in Italia, Aruerni in Gallia, Massesyli in Africa, & alij populi ausi Latios se fingere fratres sanguine ab Iliaco; sic & Franci nostrique Belgæ propaginem à Trojanis olim repetebant, nec sine patricinio: quoniam cum turba insaniebant. De his rebus alibi.

## C A P V T L V I I.

*Henricus, Godefridi Barbati Lotharingia Brabantiaque Ducis filius, in Affligemensi Benedictinorum cœnobio, monachum induit, & varia pradia eidem cœnobio donat.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Notum fit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd ego HENRICVS, filius Godefridi Ducis Lotharingiæ & Comitis Louanij, ob declinandas miserandas & ærumnosas huius sæculi procellas, ad monasterium Affligemense, quasi portum salutis, confugi,

Vbi Deo & SS. Apostolis eius Petro & Paulo, sub præsentia domini Petri Abbatis & totius congregationis, adstantibus hominibus meis, meipsum in monachum offerens, allodium quod apud *Sichne & Rode*, iuxta *VVerde*, ex patre meo me liberè continebat, & commune cum fratre meo Duce Godefrido, patris mei successore, possidebam, in aquis & pascuis, in campis & siluis, & in omnibus ad ius nostrum pertinentibus, pro anima patris mei, & matris meæ, & CLARITIÆ sororis nostræ, & pro meipso, & pro prædicto fratre meo Duce GODEFRIDO, & sororibus meis ALBIDE Regina Angliæ, & IDA Comitissa, & pro omnibus parentibus & amicis in elemosyna tradidi.

## N O T A T I O N E S.

HENRICVS) obiit Conuersus, vt loquuntur, in monasterio Affligemensi an, 1141. vt in vetustissimo codice Parcensis Abbatia legitur.

P 3

SICHNE,



SICHNE) Sichenæ seu Sichemium est Brabantia opidulum, cui vicinus est Collis asper, vulgò Acutus, Gallis *Mont aigu*, Flandris *Schenpenheuel*: qui locus, beneficio Dei ac Deiparæ, plurimis miraculis nostra ætate inclaruit. Vide Lipsium de Diua Virgine Aspricolle.

ALBIDIS) fuit Henrici Angliæ Regis coniux, sepultra Atlligemij cum patre.

IDA) N. Comiti Cliuensi nupsit.

CLARITIA) obiit innupta: vide Stemmata nostra Belgica, cap. 14.

## CAPVT LVIII.

*Baldvinus Ardensis toparcha Ardense Canoniorum secularium collegium ab auo suo Arnulpho fundatum, vertit in Canoniorum regularium ord. Pramonstratensis Abbatiam an. 1144.*

Vniuersa sanctæ matris Ecclesiæ filijs, BALDVINVS Dei permissione heres & dominus Ardeæ, ecclesiæque S. Audomari Ardensis dictus Præpositus, salutem in perpetuum.

Quod ad cultum Dei, & ad reuerentiolem sanctæ Dei Ecclesiæ honorem conuenire dignoscitur, omnimodè executioni, in quantum sufficimus, promouere necessarium duximus & saluberrimum.

Vnde cum Præpositura Ardensis ecclesiæ nobis hereditario iure successit habenda, hinc clericorum seu Canoniorum in eadem ecclesia seruientium considerantes negligentiam, hinc periculum, & æternum animæ pensantes excidium, eò quòd Præpositura ecclesiastica dispensanda & manu laicali disponenda (nisi nos vani docuere parentes) salutiferè nobis nullatenus accidere queat, quædam altiora super Ardensis ecclesiæ statu, altiore consilio, destinauimus.

Accepto itaque super eiusdem ordinatione Ecclesiæ diuino responso, sanoque consilio à Domino MILONE Morinensis ecclesiæ Episcopo, & Abbatibus, & multis ecclesiasticis personis, & laicibus Ardensis opidi, paribus & veteranis Morinensis ecclesiæ, non minùs, quàm Ardensi Capitulo annuente, & beniuolum assensum præbente, concessimus, & in quietam possessionem dedimus venerabili Abbati Theoderico & monachis S. Mariæ de Capella, in villa antiquo nomine Brugnam dicta degentibus, & eorum successoribus,  
omnia



omnia iura, omnesque dignitates, quæ in ecclesia S. Audomari Ardenſis nobis hereditario iure ſucceſſerunt, totamque eandem eccleſiam, cum vniuerſis eiufdem eccleſiæ rebus & poſſeſſionibus, & appenditijs, & pertinentijs perpetuo iure poſſidendis.

Hoc addito, quod mortuo vno iam dictæ eccleſiæ clerico ſeu Canonico, ſuccedet ei monachus, ſicque omnibus mortuis Canonicis, monachi ſuccedent in locum Canonicorum, & liberè obtinebunt eccleſiam; & quodcumque demùm Abbati placuerit, monachi, in diſpoſitione Abbatis eccleſiæ, & poſſeſſiones eccleſiæ diſpensabunt.

Vt autem hæc donatio tractu temporis minimè patiatur reciduiam, nulliusque poſſit malitia vel odio turbari, moleſtari vel infirmari, præſentem chartam ſcribi, & teſtibus roborari, & ſigilli noſtri appenſione communiri fecimus, & Ternanę, Remis que vrbi- bus, & Romæ confirmandam miſimus; huiusque rei teſtes ſunt:

Dominus Milo Morinensis Episcopus, Præmonſtratenſis ordinis Canonici.

Philippus & Arnulfus Archidiaconi, totumque Morinensis eccleſiæ Capitulum.

Dominus Leo Abbas S. Bertini.

Dominus Gufridus Abbas Andriæ. *non S. Andree*

Dominus Henricus Abbas de Liſkia.

Balduinus, Mondulphus Decanus.

Arnolphus Cantor.

Magiſter Richardus, Euſtachius, & Robertus Canonici, totumque eiufdem Ardenſis videlicet eccleſiæ Capitulum.

Hugo, & Bernardus, de Wiſſo, de Bramis, preſbyteri.

Theodoricus Comes Flandriæ, & Philippus & Mathæus, filij eius.

Arnulfus etiam Giſnenſis Comes, & Balduinus filius eius.

Arnulfus Markiſienſis, Vicecomes, ſororius.

Drogo Botech, Walo de Ardea.

Arnulfus Gohel, qui eſt Caſtellanus Ardeæ.

Elbodo de Norhout, & Paganus frater eius.

Euſtathius & Balduinus de Balinghen.

Balduinus Walameth, alijque multi Chriſtianiſſimi populi.

Facta eſt autem hæc tranſactio in eccleſia S. Audomari Ardenſis,  
& in



& in plena synodo Teruanæ solenniter recitata & approbata, Dominicæ Incarnationis anno M. C. XLIV.

1144.

## NOTATIONES.

BALDVINVS) Arnulphi primi eo nomine Ardenfis Domini, ex filio Arnulpho, nepos, obiit an. 1146. in Terra sancta, non relicta sobole legitima; vt Lambertus Ardenfis in Historia ms. Comitum Gifnensium, & Meierus an. 1144. commemorant.

MILONE) Episcopo. De eo multis agit Meierus in Annalibus ab an. 1130. vsque ad an. 1159. & nos in Chronico Præmonstratensi Colonia Agrippinæ edito.

S. MARIAE de Capella) monasterium Benedictinorum, prope Caletum, in territorio Merkenfi, & loco qui prius *Broucham* dicebatur, fundarunt *Eustathius II.* Comes Boloniensis, & vxor eius *Ida*: vt Iperius in Chron. ms. Bertinensi narrat. Locrius in Chronico suo Belgico tradit, monasterium istud postea adiunctum fuisse Abbatia S. Ioannis in Monte prope Teruanam, quæ nunc Iprensi in vrbe floret.

PRÆMONSTRAT. ord. Canonicus.) Notet, quisquis institutum Præmonstratense amat. Ipse Milo, cum esset Episcopus, scribit se illius ordinis Canonicum.

PHILIPPVS & Matthæus, filij eius.) Matthæus fuit Boloniæ Comes, ex parte vxoris suæ; vt Meierus & alij narrant.

LEO) Abbas Bertinianus Cruorem Christi, qui Brugis adseruatur, ex Syria attulit, teste Meiero an. 1150. & Molano in Natalibus Sanctorum Belgij.

HENRICVS) Abbas de Liskis successit Leoni in regimine monasterij Bertinensis. Theodericus de Capella signauit diploma Theoderici Flandriæ Comitis, an. 1142. datum, teste Meiero.

ARNVLVS) siue Arnoldus, Gifnensis Comes illo nomine primus, fuit filius *Wenemari* Castellani Gandensis, & *Gisla* Gifnensis, quæ fuit soror Roberti, aliàs dicti Manassis, Comitis Gifnensis. Cum enim Beatrix Comitissa Gifnensis, ex filio neptis & heres dicti Comitis Manassis, sub initium principatus Theoderici Flâdriæ Comitis, obiisset sine liberis, dictus Arnulfus in Comitatu Gifnensi successit; *Wenemaro* & *Gisla* ob senium filio hanc successionem cedentibus.

De



De Wenemari & Gislæ matrimonio ita Lambertus Ardenſis cap. 25. Giſlam (Manaffis ſororem) poſtea vxorem habuit, viſis & viribus vir inclytus & genere, Gandauenſis opidi Caſtellanus, qui ex ea genuit primogenitum Arnoldum. Item cap. 63, Interea mortuus eſt Gandauenſis Caſtellanus Wenemarus, dum Arnoldus filius eius niſium intentus & ſollicitus in acquirendo, imò iam adepto & acquireto apud Giſnas detineretur Comitatu. Hactenus Ardenſis.

His accedit quòd ad cacem Chronici ms. Ardenſis ſiue Ardenenſis, videlicet inter ceteros verſus, Comitum Giſnenſium nomina exprimentes habeatur verſus iſte de dicto Arnulpho ſeu Arnolſo Comite. Inclytus Arnoldus de Ganda qui veniebat.

Obijt autem Arnulphus an. 1168. vt idem Lambertus Ardenſis tradit. 1168.

BALDVINVS filius eius, ) fuit filius primogenitus Arnoldi Comitum Giſnenſis, & Mathildis à S. Audomaro, atq; in Comitatu Giſnenſi ſuo patri ſucceſſit; vt ex Meiero & eodem Lamberto Ardenſi conſtat.

NORHOVT ) vulgò nunc Norton, in Comitatu Giſnenſi, aut in illa vicinia.

## CAPVT LIX.

*Conradus II. Imp. confirmat prædia & poſſeſſiones eccleſiæ  
Cameracenſis, anno 1146.*

**I**N nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. CONRADVS diuina iauente clementia Romanorum Rex ſecundus.

Prædeceſſorum debet priuilegia conſeruari, qui ſua vult à deceſſoribus inſtituta ſeruari; & quia Regiæ Maieltatis eſt, iuſtis petitionibus aures miſericordiæ porrigere, & fidelium regni neceſſitatibus affectu debito ſubuenire, dilecti noſtri NICOLAI venerabilis Cameracenſis Epifcopi precibus annuentes, collata eccleſiæ ſuæ à prædeceſſoribus noſtris priuilegia, pietatis intuitu dignum duximus confirmare:

Vt quod præcedentium Imperatorum & Regum, Pippini, Caroli Magni, Lodouici, Arnulfi & Ottonis, Eccleſiæ Cameracenſi dedit & confirmauit auctoritas, noſtro roboraretur auxilio, & Regiæ noſtræ auctoritatis munimine fulciretur, ac ratum & inconuulſum, omni futuro in poſterum tempore, perduraret.

Auctoritatis igitur noſtræ præcepto, iura & honorem Cameracenſis

Q.



cenſi eccleſiæ roborantes, ſubſignatas poſſeſſiones præfata Sedi Cameraceniſi, ad honorem & vtilitatem præfati Epilcopi, & ſucceſſorum ſuorum, irrefragabiliter aſſignauimus, ciuitatem ſcilicet, quæ CAMERACVS nuncupatur, cum iuſtitijs, diſtrictibus, moneta, molendinis, tam in ciuitate quàm extra, aquis, aquarumque decurſibus, eccleſijs, villis, quæ hætenus Epilcopalis poſſeſſionis extitiſſe conſtat.

Abbatiam etiam S. Gaugerici, Comitatum totius terræ Cameraceniſis, Caſtellaniam quoque, caſaturas & hominia, quæ de feodo Epilcopi eſſe conſtat: ad hæc Nouum caſtellum, cum iuſtitijs, diſtrictibus, moneta, molendinis, aquis, caſatis; Forailum etiam, tendens in longitudine à Sanafionis monte vſque ad illum locum, vbi duæ Helpræ cadunt in Sambra, in latitudine à villa, quæ dicitur *Barſis*, & loco qui vocatur *Gorgunes*, ita vt Sambra decurrit, & duæ Helpræ vſque ad vltiorem vltioris Helpræ ripam.

Decernimus ergò, & regia auctoritate noſtra præcipimus, vt nullus Iudex publicus, vel quiſlibet ex iudiciaria poteſtate in eccleſias, aut loca, vel agros, ſeu reliquas denominatas poſſeſſiones prædictæ eccleſiæ, quos moderno tempore in quibuſlibet pagis vel territorijs, infra ditionem regni noſtri, iuſtè & legaliter tenet vel poſſidet memorata eccleſia, vel ea quæ deinceps à Catholicis viris collata fuerint Eccleſiæ, ad cauſas exigendas, aut freda, vel manſiones vel paratas faciendas, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius eccleſiæ, tam ingenuos quàm ſeruos, ſuper terram ipſius commanentes, aliquatenus diſtringendos, vel villas, redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus, ingredi audeat, vel ea quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat.

Porro ad exterminandas æmulorum & maleuolorum ſuggeſtiones, conſeruandos etiam honoris & regni noſtri fines, præfato Epilcopo & ſucceſſoribus ſuis, interuentu cariffimæ coniugis noſtræ GERTRVDIS Reginae, ex regalis munificentie benignitate, concedimus, vt in noſtra & ſucceſſorum noſtrorum, tam Regum quàm Imperatorum manu & tuitione, nullo Duce, Comite, Principe, ſeu quolibet maiori minoriue perſona intercedente, ..... irrefragabiliter permaneant: vt clerus & ordo in ſeruitio Dei roboretur, Principum quoque & populi fidelitas nobis & regno noſtro inuiolabilis conſeruetur.

Præterea nouam illam conſuetudinem, quæ vulgò *Gahena* dicitur, quam



quam solet Comes Flandrensis exigere, prædicto fideli nostro NICOLAO Episcopo, ciuitati, ecclesiæ, & territorio Cameracensi, ex regalis auctoritatis beneficio, remittimus; statuentes vt nullo in posterum tempore liceat Flandrensi vel cuiilibet alij Comiti, sæculariue personæ, ad prædictam consuetudinem manum mittere, vel ecclesiæ Cameracensis pacem super iniustis vexationibus fatigare.

Sed liceat memorato Præsuli, suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ cum cellulis & rebus, vel hominibus sibi legaliter subiectis, sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere regno, atque pro stabilitate nostra vel totius regni à Deo nobis collati vel conseruandi, vnà cum clero & populo sibi subiecto, liberè Dei misericordiam exorare; & quidquid exinde Fiscus noster exigere poterat, ad luminaria ipsius ecclesiæ continuanda, perpetualiter concessimus adhibendum.

Præterea constituimus, vt nullus successorum nostrorum Regum seu Imperatorum, vt nullus Dux vel Comes atque Vicarius, seu quislibet ex iudicaria potestate, nostram vel antecessorum nostrorum Regum & Imperatorum auctoritatem violare præsumat. Quod si quisquam ausu temerario nostram & prædecessorum nostrorum auctoritatem infringere tentauerit, causis regalibus sit obnoxius, & insuper mille libras auri purissimi componat, dimidietatem Fisco nostro, & reliquam partem præfatæ Cameracensi ecclesiæ.

Vt autem hæc ab omnibus credantur, & omni deinceps tempore rata & inconuulsa conseruentur, hanc inde chartam scribi, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, manuque propria, vt infra apparet, corroborauimus.

Huius rei testes sunt,

Arnulphus Coloniensis Archiepiscopus.

Henricus Leodiensis Episcopus.

Wernerus Monasteriensis Episcopus.

Ortliebus Basiliensis Episcopus.

Philippus Osenbruggensis Episcopus.

Albero Verdunensis Episcopus.

Anselmus Hauclenburgensis Episcopus.

Wibaldus Stabulensis Abbas.

Godefridus Prumiensis Abbas.

Lambertus Werdinensis Abbas.

Q 2

Anno



Anno Andensis Abbas.  
 Heremannus Palatinus Comes de Rheno,  
 Henricus de Lemburch, & frater eius Comes Waleramus  
 de Arlon.  
 Otto Comes de Rinecka, & filius eius Otto.  
 Loudenicus Comes de Lon.  
 Adolfus Comes de Monte.  
 Hugo Comes de Dagesburch.  
 Otto Comes de Rauensberch.  
 Otto Comes de Duraz.  
 Henricus Comes de Gelren.  
 Hermannus Comes de Cuick.  
 Rubertus Comes de Luisemburch.  
 Albertus Comes de Woruenich.  
 Wilelmus Comes de Juliaco.  
 Henricus Comes de Katzenelenbogh.  
 Marquardus de Grumbach.  
 Tibertus de Spilemberch.

Signum domini CONRADI Romanorum Regis secundi.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Henrici Moguntinensis Archiepiscopi, & Archicancellarij recognoui, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo sexto, Indictione octaua, III. Kalendas Ianuarij, regnante Cunrado Romanorum Rege secundo, anno verò regni eius octauo. Data est Aquisgrani in regio palatio feliciter, amen.

*Fredericus I. Imp. idem confirmat anno 1153.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. FREDERICVS diuina fauente clementia Romanorum Rex augustus. Prædecessorum debet priuilegia conseruare, qui &c. *Vt superiori capite.*

Testes, in quorum præsentia hæc acta sunt, subternotari fecimus; quorum nomina hæc sunt:

Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus.  
 Hillinus Treuerensis Archiepiscopus.  
 Stephanus Metensis Episcopus.

Conra-



Conradus Wormatiensis Episcopus.  
 Henricus Leodicensis Episcopus.  
 Philippus Osenburgensis Episcopus.  
 Wibaldus Stabulensis Abbas.  
 Henricus Dux Saxoniz.  
 Mathæus Dux Lotharingiz.  
 Godefridus Dux Louaniz.  
 Welpho Dux Spoleri, Marchio Tusciæ, Rector Sardi-  
 niz.  
 Otto Palatinus de Vintelinesbach.  
 Heremannus Palatinus de Rheno.  
 Palatinus Hedericus de Sumenborch.  
 Theodericus Comes de Flandria.  
 Henricus Comes de Namurco.

Signum domini FREDERICI Romanorum Regis.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Moguntinensis Archiepiscopi & Archicancellarij, recognoui. 1153.

Datum Treueris IV. Kalendas Ianuarij, anno Domini Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo tertio, Indictione prima, regnante domino Frederico Romanorum Rege, anno verò regni eius primo.

## NOTATIONES.

CONRADVS secundus.) alijs tertius, qui Conradum anno 912. à proceribus Germaniæ electum, à Pontifice tamen Romano non coronatum, in catalogo Imperatorum Romanorum collocant. Quæ de re vide Notationes in caput proximè subsequens.

S. GAVGERICI Abbatia) fuit olim extra muros vrbis Cameracensis sita, in monte, vbi nunc arx Cameracensis, contra Francos à Carolo V. Imp. ædificata, visitur: vt superiore capite diximus. *falsum est, nihil ibi de S. Gavgerio ulnovo dicitur.*

COMITATVM terræ Cameracensis) de quo vide supra cap. 27.

NOVVM-CASTELLVM) hodie Castellum Cameracesij nuncupatur.



etur, estque ditionis Episcopalis opidum: de quo vide Codicem nostrum Donationum piarum cap. 46. & 47.

HELPRÆ DVÆ) imò hodie tres fluvii seu rivi Hannoniæ sic nuncupantur, & cadunt omnes in Sabim seu Sambram fluvium, Iulio Cæsari notum.

GERTRVDIS) Conradi II. Imp. vxor, sororem habuit nomine LVTGARDEM, quæ fuit vxor Godefridi II. Lotharingi inferioris ac Brabantiae Ducis: vt ex Auctario Gemblacensi datur intelligi.

Anno 1139. (Stilo ecclesiæ Gallicanæ, hoc est, an. 1140. itilo Romano) Godefridus Louaniensis, Dux Lothariensium moritur, & Affligemensis templi sepultura honoratur. Conradus tertius Rex huius nominis Godefridum, filium Godefridi Ducis, facit paterni honoris successorem, ea maxime pro causa, quia suæ coniugis sororem ei dederat vxorem.

Anno 1142. Godefridus Iunior, secundus Dux Lotharingiæ, quarto anno sui Ducatus, immatura morte præripitur, & Louanij in templo S. Petri tumulatur. Succedit filius eius æquinoctus, primum adhuc agens ætatis annum.

Conradus Rex concessit filio Godefridi Ducis Iunioris, adhuc puerulo, (quem vulgò Godefridum in Cunis nuncupant) quidquid beneficij vel honoris antecessores eius habuerant de manu Imperatoris.

Anno Christi 1152. regni xv. Conradus Imp. diem vltimum claudit: cui successit Fredericus consobrinus eius. Hactenus ex Auctarijs Gemblacensi & Affligemensi, quæ nos cum Sigeberti Chronico Antuerpiæ 1608. edidimus.

GAVENA) est ius accipiendi certas mensuras granorum ex singulis iugeribus terræ, quod sibi deberi prætendit Princeps seu Comes, qui est Aduocatus ecclesiæ seu monasterij alicuius, ratione suæ Aduocatiæ seu protectionis.

HENRICVS de Lemburgh) fratrem & in Ducatu Limburgensi successorem habuit Waleramum Comitem de Arlon, siue de Orolauno; vt in Antonini Imp. Itinerario nuncupatur. Stemmata nostra Principum Belgij cap. 16. lege.

RINECKA) hodie *Renecke* ad Rhenum.

LOON) Flandris *Loon*, Gallis *Los*, designat Comitatum Lofsensem, quem hodie Episcopus Leodicensis possidet, in quo opidulum est quod



quod Flandri Borch-loon nuncupant.

COMES DE MONTE.) Ducatus Montensis hodie est in diœcesi Coloniensi, vt & Ducatus Iuliacensis ac Cliuensis. De his tribus Ducatibus, (cùm anno 1609. Ioannes Dux sine liberis decessisset) grauis orta est contentio ac bellum, varios inter Principes.

DVRAS) olim Comitatus in agro Leodicensi.

CVIK) vulgò *Cuyck*, olim Comitatus, nunc Baronia Brabantia, ad gentem Nassauiam pertinens.

HENRICVS Dux Saxonie & Bauariae) cognomento Catulus: quem Fredericus I. Imp. expulit, ipsoque pullo, Ducatum Bauariae OTHONI Palatino de Vintelinesbach contulit. Ab isto Othone moderni Bauariae Duces genus suum ducunt: vt in Annalibus Germanicis passim legitur.

Idem Fredericus Imp. N. Archiepiscopo Coloniensi Ducatum Westphaliae & Angariae, Ducatum verò Saxonie BERNARDO Comiti de Anhalt contulit.

Henricus verò Catulus, à Frederico Imp. pulsus, ad inferioris Saxonie tractum secessit, vbi nunc est Brunsvicensis Ducatus. Ab isto Henrico originem trahunt moderni Duces Brunsvicenses ac Lunenburgenses: vt in Annalibus Germanicis similiter legitur.

MATTHÆVS Dux Lotharingie) Superioris seu Mosellanae anno 1176. obiit, in Claro loco, monasterio ord. Cisterciensis, à se condito sepultus. Vide Stemmata nostra Belgica cap. 12.

GODEFRIDVS) in Cunis cognomento, Dux Louaniae, vt veteres scribebant, seu Louanij, & Lotharingie inferioris.

HEREMANNVS Palatinus de Rheno.) Nota Palatinatum Rheni nondum tunc fuisse annexum Ducatui Bauariae.

THEODERICVS) Alsatus, Comes Flandriae.

HENRICVS) cognomento Cæcus, Comes Namurcensis & Luxemburgensis: de quo vide caput proximè subsequens.

CAPVT



## CAPVT LX.

*Henricus, cognomento Cacus, Comes Namurcensis & Luxeburgensis, Broniensem S. Gerardi Abbatiam an. 1154. in protectionem suscipit.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. Ego HENRICVS, Dei gratia Comes Namuci & de Luzeleburgh, omnibus veritatis amatoribus assentire pietati.

Quia pium est & amicum Deo suam ecclesiam tueri & confouere, ego HENRICVS Broniensem ecclesiam, cum vniuersis ad se spectantibus, in mea tutela & defensione suscipio, & sicut prædecessores mei dignoscuntur eam inuiolabiliter custodisse, sic & ego diligenter obseruabo. Modum suæ libertatis, ad pacem ipsius ecclesiæ & villæ Broniensis, & S. Laurentij partem, quam habet ecclesia in Leobinis, & Foseis, & Merendrech, subnotare feci & confirmaui.

Igitur Aduocatiam siue nomen Aduocati non habeo in ecclesia, sicut nec antecessores mei habuerunt, sed ipsius defensor existo, pro suis orationibus, & reuerenti mandato duorum Imperatorum. Ecclesiam Broniensem & villam, cum suprædictis villis, in aliquo grauare non teneor, nec de exactione, nec de placito, nec de iudicio, nec de consuetudine ipsarum meum est tractare. Quod si quando vocatus accedam, non ad mercedem mei consilij & defensionis spectare debeo . . . . .

1154.

Data anno M. C. LIV.

## NOTATIONES.

HENRICVS) Comes Namurcensis, Conrado II. Comite Luxeburgensi sine heredibus masculis defuncto, Comitatum Luxeburgensem ab Imperatore obtinuit, & post annum 1188. admodum senex obiit; cum Agnete vxore sua, Gelriæ Comitissæ filia, conditus Florefiæ, quam Henrici pater Godefridus Comes Namurcensis an. 1121. condiderat. Stemmata nostra Belgica cap. 23. lege.

NAMVCVM) vt mediæ æui scriptores nuncupant, hodie Namurcum,



tum, *Namur*, vrbs est episcopalis, ad *Mosæ* & *Sabis* confluentes sita, habetque arcem egregiè munitam ac pænè inaccessibilem, in rupe collocatam.

BRONIUM) hodie est *S. Gerardi* Abbatia Benedictinorum, ab illius loci fundatore ac primo Abbate *S. Gerardo* Broniensi sic dicta, qui *Blandiniense*, *Bauonicum*, *Bertinense*, *Gissenianum*, & alia non pauca eiusdem ordinis Benedictini canobia Belgica reformauit, ac demùm anno 958. Bronij in Domino obdormiuit. Vitæ eius historia exstat apud *Surium*.

Est autem Abbatialis hodie dignitas Broniensis annexa Episcopatu *Namurcensi*, vt *Affligemienfis* Archiepiscopatu *Mechliniensi*, *Bernardina* ad *Scaldim* Episcopatu *Antuerpiensi*, *Prumiensis* Archiepiscopatu *Treuerensi*, & *Stabulensis* Episcopatu *Leodicensi*.

## CAPVT LXI.

*Fredericus I. Imp. possessiones ecclesie S. Mariae Antuerpiensis, quæ nunc est cathedralis, an. 1157. confirmat, petente Rainero, eiusdem ecclesie Præposito.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. FRIDERICVS diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus.

Quandocumque in his, quæ ab antecessoribus nostris Regibus, & Imperatoribus tradita & confirmata sunt, nostræ Imperialis corroborationis piè exigitur suffragium, celeri effectui est attribuendum. Et si in his exposcitur quod perpetuò durare videtur, literis est annotandum, ne prolixitas temporum hoc posteris reddat dubium vel incertum.

Nouerit igitur omnium tam futurorum quàm præsentium Christi Imperijque nostri fidelium industria, qualiter RAINERVS ecclesie *S. Mariæ*, matris Domini, in *Antuerpia* Præpositus, præsentiam Maiestatis nostri adiit, porrigens nobis priuilegia proauj nostri *Henrici* Romanorum Imperatoris quarti, & Imperatoris *Lotharij* tertii, & multùm supplicans Maiestati nostræ per dilectum Cancellarium nostrum *Rainaldum*, quatenus ea nostris oraculis confirmare vellemus.

R

Nos



Nos itaque, ob interuentum dilecti Cancellarij nostri, præfati Præpositi preces clementer admisimus, & non solum sanctiones pro-  
 auj nostri & Imperatoris Lotharij nostra auctoritate confirmauimus,  
 verum etiam prædictam ecclesiam S. Mariæ genitricis Dei in Ant-  
 uerpia, cum omnibus possessionibus suis, quas nunc iuste habet, vel in  
 posterum rationabiliter poterit adipisci, sub nostram tuitionem sus-  
 cepimus.

Per omnia verò antecessorum nostrorum pietatis vestigia prose-  
 quentes, omnem decimam quam proauus noster supradictæ ecclesiæ,  
 & fratribus inibi Deo seruientibus, pro remedio animæ suæ contulit,  
 & euidentijs terminis designauit, à termino *Sansflieten* vsque ad  
 terminum *Olmeremuthen*, quam postmodum Lotharius Imp. priui-  
 legio suo eidem ecclesiæ confirmauit, nos Imperiali nostra auctorida-  
 te supradictæ ecclesiæ damus & confirmamus. Et sicut ipsi distinxe-  
 runt, ita nos distinguimus, vt videlicet Præpositus eiusdem decime  
 quartam partem habeat, & reliquas fratres in vsus suos accipiant.

Vt autem hæc donatio & confirmatio sæpe dictæ ecclesiæ S. Mariæ  
 omni tempore rata & inconuulsa permaneat, præsentem inde pa-  
 ginam conscribi, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, ad-  
 hibitis idoneis testibus, quorum nomina hæc sunt:

Godefridus Traiectensis Episcopus.

Albertus Aquensis Præpositus.

Henricus Comes de Gelre.

Theodericus Comes Hollandiæ.

Filius eius Florentius.

Theodericus Comes de Cleua.

Godefridus de Kuch, & frater eius Hermannus.

Gobbinus de *Hemesberch*.

Volricus de Huttunghen.

Walterus de Strapeta.

Harpernus de Randenrode.

Signum FREDERICI Romanorum Imperatoris.

Ego ARNALDVS Cancellarius, vice Arnaldi Moguntini Archie-  
 piscopi & Archicancellarij, recognoui.

1157.

Datum in Nouiomagensi palatio, III. nonas Iunij, anno Dominice  
 Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo septimo, Indi-  
 ctione quinta, regnante Friderico Romanorum Imperatore, anno  
 regni



regni eius sexto, Imperij verò secundo. Actum in Christo feliciter,  
amen.

## NOTATIONES.

**RAINERVS** Præpositus.) Antuerpiensis ecclesiæ Præpositura postmodum est extincta; vt Scribanius in sua Antuerpia fuse explicat. Itaque post Episcopalem dignitatem hodie primaria est Decanalis.

**LOTHARII** tertij.) Idem Lotharius se nuncupat huius nominis tertium Regem Romanorum in diplomate Traiectensi, quod anno 1132. datum in Codice don. piarum tomo 1. cap. 87. exstat.

Ceterum vt hic Lotharius sit tertius à Lothario I. Imperatore, secundus nominari debet aut Lotharius Iunior, Rex primus Lotharingiæ, aut Lotharius Italiæ Rex, Hugonis Arrelatensis filius.

*De tribus Lotharijs Imperatoribus seu Regibus.*

**L**OTHARIUS I. Imperator, Ludouici Pij filius, an. 855. in Prumiensi diœcesis Treuerensis cœnobio factus monachus, ibidem die 20. Septembris eodem anno obiit, regno tres inter filios distributo. Ludouico Italia cum Imperio, Lothario Galliæ pars inter Scaldim, Mosam ac Rhenum sita, quæ ab ipso exinde Lotharingia est appellata, Carolo autem natu minimo Prouincia cessit.

**LOTHARIUS** IUNIOR, Lotharij I. Imp. filius, primus Lotharingiæ Rex, à quibusdam vocatur Imperator, eò quod Aquisgranense palatium Imperiale possederit. Idem an. 869. Placentiæ in Italia mense Iunio decessit, ex Theutperga coniuge legitima nullis relictis liberis. Ex Waldrada tamen pellice liberos reliquit, *Hugonem & Gislam.*

Hugo, eò quod Godefrido Normannorum Regi adhæsisset, & Lotharingiam cum ipso vastasset, captus, oculisque priuatus, anno 885. in S. Galli apud Heluetios monasterium est detrusus. Postea Prumiam missus, à Reginone Abbate & Historiographo attonsus est, temporibus Suendeboldi Lotharingiæ Regis, vbi & obiit post annos aliquot.

Gisla seu Gisela eidem Godefrido Normannorum Regi, Christianis sacris imbuto, à Carolo Crasso Imp. an. 882. in vxorem data est, cum Frisia prouincia; vt idem Regino narrat.



LOTHARIUS) Hugonis Arelatensis filius, circa annum 931. Rex Italiae à patre appellatus, annos xviii. regnavit, & anno 950. vivere desijt teste eodem Reginone in Chronico. Vxor illi fuit B. Adelheidis, Rodulphi II. Burgundiae Transjuranae filia, quae postea an. 951. Othoni I. Imp. nupsit: vt Flodoardus in Chronico suo narrat.

Cæterum ex Lothario priore marito suscepit Adelheidis filiam Emmam seu Hemmam, quae an. 966. Lothario Francorum Regi nupsit. Emma fit mentio suprâ cap. 21. & 22.

*De Conradis Imperatoribus.*

In diplomate superiore capite à me recitato, Conradus Imp. à quibusdam secundus, ab alijs tertius eo nomine Imperator vocatur. Quod ne confusionem Lectori pariat, de Conradis Imp. libet pauca subiungere.

I. CONRADVS) illo nomine primus Imperator, Ludouico ex Carolo Magni stirpe apud Germanos postremo, defuncto, an. 912. à proceribus regni electus, Imperium Germanicum cum parte regni Lotharingiae obtinuit, & an. 919. vivere desijt.

Hunc non pauci scriptores in serie Imperatorum omittunt, eò quod à Pontifice Romano non fuerit coronatus; sicut & Henricum Aucupem prætereunt eadem de causa.

II. CONRADVS II.) cognomento Salicus, an. 1024. S. Henrico Imp. successus, à Ioanne Papa an. 1027. Imperator coronatus, Ultraiecti an. 1039. vivere desijt.

III. CONRADVS itaque, cuius diploma superiore capite recitauimus, illis, qui Conradum primum in serie Imperatorum omittunt, est secundus, alijs autem tertius: obiitque anno 1152.

SANTFLIETEN) vulgò *Santfliet*; Olmeremuthen nunc *Orderen*, sunt vici Brabantiae, inter Antuerpiam & Bergas ad Zomam siti.

CLEVA.) Cluensium Comitum ac Ducum series exstat apud Stephanum Vinandum Pighium in Hercule Prodicio.

HEMESBERCH) fortè *Herasberch*.

ARNALDVS) fortè Rainaldus, vt suprâ nuncupatur in ipso diplomate.



## CAPVT LXII.

*Godefridus III. Lotharingæ Brahantiaque Dux Littam alodium  
Remensi monasterio S. Remigij restituit,  
an. 1160.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego GODEFRIDVS Dux Lotharingæ, filius Godefridi iunioris Ducis, notum facio vniuersis sanctæ matris Ecclesiæ filijs, tam futuris quàm presentibus, me... alodium B. Remigij, Francorum Apostoli, quod Litta dicitur, duobus annis tenuisse.

Tandem verò compunctus & penitentia ductus, nec non mandato domini Imperatoris coactus, & à Coloniensi Archiepiscopo Rainaldo, & à domino Leodiensi Episcopo admonitus, iam dictum alodium cum omnibus ad ipsum pertinentibus Deo & B. Remigio prompta deuotione reddidi, nec non fidei sacramento confirmaui, & in præsentia Baronum meorum illud abdicauit.

Statuens & confirmans, quòd numquam per me, nec per aliquem meorum sæpeditum monasterium de ipsius alodij rebus aliquod damnum patietur, sed ex integro ei maneant omnia sua, sicut dedit & confirmauit GERBERGA, venerabilis Francorum Regina.

Quod meæ constitutionis decretum, vt per succedentia tempora inconvulsum seruetur & maneat, auctoritate mei sigilli firmaui & testes idoneos subnotaui.

*Huius rei, ex parte Ecclesiæ, testes sunt,*

Philippus Abbas de Parco.  
Simon Præpositus de Louanio.  
Riczo eiusdem ecclesiæ Canonicus.  
Lambertus Canonicus ecclesiæ B. Petri in Leodio.  
Theodericus Præpositus de Marsna.  
Guillelmus Canonicus de Brusella.  
Leo Prior ecclesiæ B. Remigij.  
Guillelmus Præpositus.  
Guillelmus Prior S. Thomæ.  
Warnerus monachus.



*Ex parte Ducis, liberi.*

Leonius de Pollar. Reinerus de Iacia.  
 Antonius & Galterus de Mesbruecke.  
 Gillebertus de Wesebeke. Anselmus de .....  
 Guilielmus, filius Manerij, de .....

*De familia.*

Gerardus de Huldeberghe.  
 Henricus Magethoke. Henricus de Salla.  
 Arnoldus de Rode, & filius eius Arnoldus.  
 Engelbertus de Meneselve. Waleramus de Leuuel.  
 1160. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo, Indictione VIII.

## NOTATIO.

De MARSNA seu Marsana, & LITTA, alodij, monasterio S. Remigij Remensis per Gerbergam Francorum Reginam an. 968. datis, vide nostrum Codicem don. piarum, tom. 1. cap. 38.

## CAPVT LXIII.

*Philippus Alsatius, Flandrorum & Veromanduorum Comes, in  
 Ariensi apud Artesios Canonicoꝝ S. Petri basilica XVI.  
 prabendas Canonicales anno 1163. fundat ac dotat.*

**I**N nomine Domini, amen. Ego PHILIPPVS, Dei gratia Flandria & Viromandiae Comes, tam futuris, quam presentibus in perpetuum.

Mentes humanae studio mundanae voluptatis ad terrena de facili incuruantur, & celeritate admodum proclui in lubricum discurrunt. Hoc enim a radice vitiorum originaliter ad nos vsque peruenit. Quapropter omnibus fidelibus admodum esset necessarium, vt inter vitiorum tumultus, & naufragia virtutum, suffragijs aliquando possent respirare.

His ergo documentis admonitus, quamuis in modico, tamen in aliquo,



aliquo, contra vitiorum importunitates cuiusdam elemosynæ beneficium ordinavi, sperans me cumulato fructu in caelestibus stipendia, si Dominus annuerit, recepturum. Hoc autem tenaci firmitudine roboratum, ad oculos venturæ posteritatis transmisi, ut nec ærugo senij, nec obliuionis tinea quidquam posset demoliri. Prænommatum autem beneficium, quod præsentis paginæ series explicabit, ARIENSI ecclesiæ, cuius parietes de fundamentis patrum meorum excreuerunt.....

Inter WATENES, & BOVRBOURG, palus quædam limum inaccessibilem spatiosa latitudine diffundebat, & vîbus sese denegabat humanis. Huius limosæ paludis illuuiem feci sumptibus proprijs, cum expensâ multi sudoris, exhauriri, & ex ea statum commodioris naturæ quasi violenter extorquens in terram frugiferam transformavi.

Huius terræ partem quandam, circiter mille septingentas mensuras continentem, cum molendino de Watenes (quod & de proprio feceram) & tractu nauium, ea libertate, pace & quiete, qua eam prius possidebam, præfatæ ecclesiæ possidendam, sub elemosynæ titulo, perenniter assignavi, ut ex hoc beneficio accresceret in ea numerus sedecim præbendarum; ea lege & conditione, ut ab omnibus, qui redditus S. Petri Ariensis, ex supradicta terra prouenientes, apud S. Audomarum..... erunt, ab eo, qui molendinum de Watenes tenuerit, nihil penitus exigatur.

Si verò aliquando in dubium venerit, utrùm redditus S. Petri fuerint necne, præfati homines eos, qui huiusmodi vectigal exegerint, fidei suæ sacramento securos facient, & sic sine exactiõne naues suas transducent.

Quoniam verò eiusdem terræ portionem non modicam, scilicet trecentas mensuras Gualterus Cortracensis, sed & quidam seruitutes mihi partem permaximam in eadem terra, videlicet Bordinus, Rufcius, Simon, Erakesim, Rostode Winghnes, titulo feudi de manu mea prius possidebant, rursus eam mihi vindicans, interuenta pecunia, eidem Ecclesie pariter adscripsi.

Insuper terram quandam in Ariensi territorio, similiter ex palude in solidam conuersam (circiter ducentas mensuras) quæ inter noua molendina, & Ariam diffunditur, iam dicta Ecclesia liberè possidendam assignavi.

Præterea



Præterea septuaginta marcas prouenientes ex terra, quam tenuit olim Philippus, qui Comes nuncupatur, pater Willelmi de Ipra, que patri meo & mihi iure hereditario successit, cum prædictis beneficijs, prætaxatæ ecclesiæ pariter adscripti.

Hanc autem donationem, legitima definitione celebratam, sigilli mei munimine roborauit, & testes subscripsi idoneos.

Signum Petri, fratris mei.

S. Michaelis Constabularij.

S. Hellini Dapiferi.

S. Rosonis Buticularij.

S. Eustathij Camerarij.

S. Gerardi de Meschines, Sigillarij mei.

S. Lambini de Brugis, Notarij Comitis.

S. Roberti Aduocati Bethuniensis.

S. Rogerij Contracensis Castellani.

S. Willelmi Castellani Audomarensis.

S. Guidonis Bergensis Castellani.

S. Balduini Castellani de Bourbourg.

S. Enonis Brugensis Castellani.

S. Walteri de Locris.

S. Gilberti de Aria.

1169. Actum hoc anno uerbi Incarnati millesimo centesimo sexagesimo nono, Kalendis Augusti, per manum Roberti Cancellarij Flandriæ & Arienfis ecclesiæ Præpositi, regnante Ludouico Francorum, imperante semper Domino nostro Iesu Christo.

*Idem Comes Philippus donationem CCC. mensurarum terræ, à Waltero Contracensi Castellano emptarum, confirmat, anno 1172.*

**E**GO PHILIPPVS, Dei gratia Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum fieri volo tam futuris, quam præsentibus, quod redemi pro centum & septuaginta marchis à WALTERO Contracensi CCC. mensuras, quas ei dederam, à me in feudo tenendas, infra lacum, qui est inter Watenes & Bourbourg, quem propria expensa desiccari feci, & ad terram arabilem redegei.

Prædictus itaque Walterus Brugis, in præsentia virorum seu hominum



minum meorum, terram præfatam in manus meas liberam resigna-  
vit, & sic eam liberam & absolutam concessi in eleemosynam per-  
petuò habendam Ecclesiæ S. Petri Arienfis.

Quod vt ratum & inconcussum permaneat, sigilli mei auctorita-  
te & testium subscriptione corroborari præcepi.

Signum Roberti Flandrensis Cancellarij.

S. Roberti Brugensis Decani.

S. Rogerij Cortracensis Castellani.

S. Eustathij Flandrensis Camerarij.

S. Giselberti de Niuella. . . . .

Actum an. Dominicę Incarnationis millesimo centesimo LXXII. 1172.

### NOTATIONES.

Primus Arienfis ecclesiæ & collegij Canonorum conditor fuit  
Balduinus cognomento Pius seu Insulanus, qui præbendas XIV. siue  
vt Latiniùs loquar, præbenda, neutro genere, hoc est, portiones XIV. 1059.  
Canonicorum an. 1059. fundauit ac dotauit: vt testatur versus chro-  
nographicus, muris chori seu odeij Arienfis inscriptus:

bIs septeM tV præbendas baLdIne dedIt.

Philippus Alsatius an. 1166. præbendas XVI. & an. 1190. alias sep-  
tem adiecit. Robertus patria Carnutenfis, Arienfis ecclesiæ Præposi-  
tus, vnam insuper præbendam, quam S. Venantij nuncupant, an. 1172.  
fundauit. Fuit is postea Flandrię Cancellarius, ac demũ Cameracensis  
Episcopus; sed quorumdã inuidia Condati occisus, Arię sepultus iacet.

Philippus Alsatius an. 1191. decessit, in Clara-Valle conditus, cum  
N. Lusitana, posteriore coniuge. Prior eius coniux Elisabetha Verom-  
andua an. 1182. sine liberis obiit, sepulta Atrebat in choro basi-  
licæ cathedralis.

Est autem Aria (quam Pipinus Francorum Rex, in diplomate Mal-  
mundarij dato, vocat Ariacum castrum in Morinis) opidum non in-  
elegans, olim Flandriæ, nunc Artesiæ accensum.

WATENES) putatur olim fuisse Promontorium portus Iccij. Quo  
loco postea cœnobium Canonorum ord. Præmonstratenfis à Theo-  
derico Alsatio, Philippi Alsatiij patre, est ædificatum. Obiit autem  
Theodericus an. 1168. Watenis sepultus.

BOVRBOYRG) seu Borburgum, Flandriæ occidentis opidum: in quo  
est illustre virginum Benedictinarum monasterium.

S

PALVS.)



**PALVS.**) Apud extremos hominum Morinos, vt olim temporibus I. Caesaris, sic & hodie multæ sunt paludes, quas Flandri sua lingua *Moeren* vocant: vnde & Morinorum nomen apud Romanos enatum. Ex paludibus istis non paucas Principum nostrorum industria exsiccauit: quos inter Philippus Alsatius est numerandus, & nostro æuo Isabella Clara Eugenia, quæ duas istiusmodi paludes, vulgò *Groote & Clæne Moer* nuncupatas, in Flandria occidentali, an. 1624. ac proximè sequentibus exhauriendas curauit, operâ Vincentij Cobbergij Antuerpiensis sui Architecti,

**PHILIPPVS**) Comes de Loo: cuius filius naturalis fuit Willelmus de Ipra.

**WILLELMVS DE IPRA**) fuit postea Comes Cantij in Anglia, & Flandriæ Comitatum occupare tentauit, post obitum Caroli Boni. Vxorem duxerat neptem Mathildis Lusitanæ, Flandrorum Comitissæ.

**PETRI fratris mei.**) Petrus, Theoderici Alsatij Flandriæ Comitis filius, defuncto Nicolao Cameracensi Episcopo, in eius locum an. 1167. est electus. Sed relicto postea Episcopatu, viduam Comitis Niuernensis an. 1175. duxit vxorem, eodemque anno decessit, non relicto liberis, vt in Auctario Aquicinctino legitur.

**ROBERTI Flandrensis Cancellarij.**) Robertus Arienſis Præpositus, Theoderici Alsatij Cancellarius, an. 1173. Atrebatensis, & sequenti anno Cameracensis Episcopus electus, apud Condatum Hannoniæ opidum, à ministris Iacobi Auesnensis, eodem ipso anno est interfectus: vt in eodem Auctario narratur.

**NIVELLA.**) vulgò *Neuel*, Baronia vetus ac celebris prope Gandauum.

## CAPVT LXIV.

*Frederici I. Imp. diploma de Heristallo Ecclesia Leodicensi oppignorato, an. 1171. scriptum.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. **FREDERICVS** diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus.

Quæcumque instituta, vel conuentiones inter diuersas personas solemniter contrahuntur, dignum reputamus, vt scripto diligenter anno



annotentur, ne per successiones temporum transeant in obliuionem mentium, & à memoria hominum deleantur.

Notum igitur facimus tam futurorum quàm præsentium industrie, quòd GODEFRIDVS Dux Lotharingæ beneficium Ducatus sui, quod quod situm est in villa HARSTALII, dilecto nostro RADVLPHO Leodicensi Episcopo, Aquisgrani, in præsentia Principum & totius Curia, per manum nostram, pro trecentis marchis oppignorauit, & idem Episcopus, nullo reclamante, illud in potestatem suam contraxit & quietè possedit.

Postmodum verò placuit eidem Episcopo, vt iam dictum vadium, pro remedio animæ suæ, ecclesiæ S. Mariæ, sanctique Lamberti in Leodico conferret, & ad stipendia fratrum Deo in ecclesia eadem militantium destinaret.

Vt autem ampliorem roboris perfectionem traditio ista, imperialis nominis auctoritate contraheret, memoratus Episcopus oppignoratum sibi beneficium, in celebri totius Curia præsentia, in manum nostram reportauit, nosque illud, petitione & assensu eius, de manu propria in manum Henrici eiusdem ecclesiæ Præpositi, & Ægidij Comitis de Durachio, qui traditionis huius Aduocatus & mandiburnus institutus est, Othonis de Malbere, Alexandri de Nouiomago, ad vsus stipendiarios præbendæ fratrum, vt iam dictum est, liberè & absolutè tradimus.

Si verò prænominatus Dux idem vadium, datis trecentis marchis, redemerit, pecunia illa in custodia Leodicensis ecclesiæ tam diu teneatur, donec alodium ex consilio Episcopi & fratrum inde compareretur, vnde stipendia fratribus persoluantur, & anniuersarius dies ipsius Episcopi annuatim in ecclesia peragatur.

Statuimus itaque, & Imperiali auctoritate firmiter & districtè præcipimus, vt nulla persona, magna seu parua, secularis vel ecclesiastica, huius institutionis . . . . aliquatenus improbare, aut irritum reuocare præsumat. Quod qui fecerit, quinquaginta libras auri puri pro pœna persoluat, dimidium Camerae nostræ, & reliquum prædictæ ecclesiæ.

Vt autem hæc omnia inuiolabiliter obseruentur, & rata permaneant, præsentem inde paginam conscribi, & sigilli nostri impressione iussimus communiri. Huius rei testes sunt,

Christianus Moguntinus Archiepiscopus.



Arnoldus Treuerensis Archiepiscopus.  
 Godefridus Traiectensis Episcopus.  
 Theodericus Comes de Cleue.  
 Adelbertus Comes de Molbach.  
 Henricus de Cuke.  
 Conradus de Bochesberch.  
 Robertus de Durne.  
 Wernerus de Boulant.  
 Henricus Leodicensis ecclesie maior Præpositus.  
 Simon Decanus.  
 Amalricus, Balduinus, Rodolphus, Archidiaconi.  
 Robertus Cantor.  
 Egidius Comes de Durachio.  
 Otto de Malberg.  
 Alexander de Numage.  
 Eustathius, frater Aduocati Hasbaniz.  
 Turricus de Prato.  
 Fastradus de Dummertin.  
 Thomas de Helmericurt.  
 Godinus de Hofemont.  
 Bodo frater eius, & alij quàm plures.

Ego Henricus Cancellarius, vice Christiani Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarij, recognoui.

1171.

Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo primo, Indictione quarta, regnante Frederico Romanorum Imperatore, anno regni eius vicesimo, Imperij verò decimo octauo.

Datum Leodij III. Kalendas Octobris feliciter, amen.

## NOTATIONES.

HARSTALIVM.) In Austrasia (quæ postea à Lothario Iuniore, Lotharij I. Imp. filio, dicta est Lotharingia) multa olim fuerunt Regia palatia. Ex rerum Francicarum scriptoribus constat, Regum Austrasiæ sedem fuisse Diouodurum Mediomatricorum, quam urbem hodie Metas, *Mets*, nuncupant.

Ad Mosam fl. tria olim fuerunt palatia admodum celebria, Heristallum,



stallum, Iopilia, & Marsana seu Marsna.

Heristallum seu Herstallum, *Herstal*, Pipinus, Caroli Martelli pater, inde dictus Herstallius, construxisse creditur. Est hodie vicus ditionis Brabantinæ, primo lapide à Leodico.

Iopilia, *Iopil*, in eadem diœcesi Leodicensi est sita. De Marsana, *Mersen*, vide Codicem nostrum don. piarum tomo 1. cap. 38.

Nouiomagenſe palatium, *Nimmeghe*, ad Vahalim fl. in Batavorum insula, Carolus Magnus Imp. ædificauit, teste Eginharto. Eidem in delitijs fuit Theodonis-villa, *Theonville*, ad Mosellam sita.

Valentianæ ad Scaldim, *Valenciennes*, palatio quoque insignes fuerunt; vt & Duria, *Duren*, in Ducatu Iuliacensi. De Liptinensi palatio, *Lessines*, cuius rudera non procul à Binchio Hannoniæ opido visuntur, egi in Annalibus Belgicis an. 743.

Cæterum pulchritudine reliqua omnia superabat Aquisgranense palatium. *Aken* Teutonibus, *Aix la chapelle* Gallis, quod Carolus Magnus à fundamentis exstruxit, vbi & obiit.

COMES de Durachio, ) Subaduocatus monasterij Trudonensis. Illius loci Aduocatiam Henricus Comes Limburgensis Godefrido III. Lotharingiæ inferioris ac Brabantia Ducis an. 1155. cessit: vt in Auctuario Affligemiensi legitur.

## CAPVT LXV.

*Godefridus III. Lotharingia inferioris & Brabantia Dux collegium  
Canonicorum S. Ioannis, in Mosa fl. insula Leodici,  
dotat an. 1174.*

**G**ODEFRIDVS Dei gratia Dux Lotharingiæ, & Comes Louania, Canonicis ecclesiæ S. Ioannis, quæ sita est in insula Leodij, tam presentibus quàm futuris in perpetuum.

Ne aliquo casu vel aliquo tempore à me vel à successoribus meis aliquod onus indebitæ pensionis vobis imponatur, profiteor me, nihil amplius iuris in villa de *Nethenis* habere, iure Aduocatia, nisi id tantum, quod homines mei à me tenent, & venatores mei, iudicio Scabinorum, recipere solent. In segete vestra, siue in spicario siue in granario condatur, nihil Aduocatum iuris habere confiteor.

Quadra-



Quadráginta ergò solidos, quos de horreo supradictæ villæ vestræ de Nethenis annuatim tollendos existimabam, pro amore Dei & propter bona merita Magistri Benedicti, Decani eiusdem ecclesiæ vestræ, petitione fidelis nostri Rixonis de Monte Tienes, coram domino Henrico de Iace, Præposito & Archidiacono ecclesiæ S. Lambertii, qui vices agebat Episcopi, proiecto à me pilo pallij mei, iuxta morem nobilium, vverpui, & hæc contra omnem ambiguitatem præsentis pagina conscribi fecimus, & paginam ipsam nostro sigillo, aduersus omnem calumniam, communiuimus. Horum testes sunt,

Præpositus & Archidiaconus, Henricus de Iace.

Rixo de Hulceim.

*De liberis hominibus.*

Henricus Vlieme.

Henricus de Adorp.

*De Ministerialibus.*

Walterus Rixonis.

Arnoldus filius Dapiferi.

Wilhelmus Verimes.

1173.

Acta sunt hæc Leodij, in Capite ieiunij, anno Incarnationis Domini millesimo centesimo septuagesimo tertio, Frederico Imperatore Alexandriam nouellam ciuitatem Italiæ potenter expugnante.

### NOTATIONES.

S. IOANNIS) Canonicorum collegium Leodicense, in Mosæ fl. insula, à Notgero Leodicensi Episcopo circa annum 987. est fundatum; qui & S. Crucis, itemque S. Dionysij collegia in eadem vrbe fundauit, Obijt anno 1007.

NETHENES) vicus est Brabantiae, *Nethen.*

SPICARIUM, *Flandria spycker*) idem quod granarium seu horreum.

MONS TIENES) Gallis *Tillemont*, Flandris *Thinen*, Latinis *Thenna*, opidum Hasbaniae Brabantinae.

WERPIVI.) *Werpire* est idem quod barbarè dicitur, transportum facere seu quitare, Flandricè *Opdraghen.*

ANNO 1173.) stilo ecclesiæ Gallicanae. Nam diploma istud scriptum est in Capite ieiunij, hoc est, initio Quadragesimæ, adeo-



adeoque ante Pascha. Itaque stilo Romano, anni initium à Kalendis Ianuarijs incohante, anno 1174. scriptum est: quo anno post festum diem Pentecostes, Alexandriam à Frederico Imp. obsessam fuisse, disertè legitur in Auctario Aquicinctino.

ALEXANDRIA) Insubrię vrbs anno 1172. ædificari cœpta, & in honorem Alexandri III. Papę, tunc viuentis, sic nuncupata (vt in citato Auctario legitur) ab eodem Pontifice an. 1175. episcopali cathedra est exornata.

*Rodolphus Episcopus Leodicensis, & S. Albertus, Godefridi III. Brabantia Ducis filius, donationem ecclesie ac decime Thienensis, dicto collegio Canonorum S. Ioannis Leodicensis factam, confirmant an. 1189.*

**I**N nomine sanctę & indiuiduę Trinitatis. Ego RODOLPHVS Dei gratia, sanctę Leodicensis ecclesię humilis minister, & ALBERTVS, Ducis Lotharingię filius, Archidiaconus & Præpositus ecclesię B. Ioannis Euangelistę, dilectis eiusdem ecclesię Canonicis, tam præsentibus quàm futuris, canonicè substituendis in perpetuum.

Effectum iusta postulantibus indulgere, & vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præsertim cùm petentium voluntatem & pietas adiuvat, & ratio non relinquitur.

Eapropter, dilecti in Domino fratres, iustis vestris postulationibus clementer annuentes, notum facimus vniuersis Christi fidelibus & futuris & præsentibus, quòd GODESCALCVS, pię recordationis ecclesię vestrę sacerdos & Canonicus ecclesiam de *Monte Tienes*, sicut eam iustè & canonicè, tamquam dominus fundi, tam in Personatu ecclesię eiusdem, quàm in decima & oblationibus fidelium, & in omni iure, quo ipsam possidebat, intuitu Dei & B. Ioannis Euangelistę, pro salute animę suę ecclesię vestrę contulit.

Ita quod de præfatis ecclesię prouentibus, Missam & luminare vnum, singulis noctibus, in oratorio B. Remigij, quod in ecclesia vestra situm est, & similiter vnam Missam pro fidelibus defunctis quotidie Capitulum fideliter prouideret, & residuum fructuum in vsum fratrum in ecclesia vestra residentium, iuxta portionem, quę vnumquemque fratrum in Refectorio contingere debet, prout competens videretur, rationabiliter dispensaret.

Et



Et decedente predicta ecclesia Persona, Decanus S. Ioannis, assensu Capituli, Personatum teneat, & in ecclesia Thenensi Canonicus eiusdem ecclesie Præpositus nominetur, & per discretos sacerdotes, sicut institutio exigat, ecclesie prouideat, seruata etiam ordinatione & stabilitate, quæ circa Canonicos ipsius ecclesie Thenensis . . . . .

Cum vnus autem viam carnis fuerit ingressus, vel rationabiliter à Canonicatu fuerit amotus, alius per manum Personæ in eadem ecclesia instituat: vt sic pia ratione initiata semper vigeat præbendarum stabilitas. Si qui verò in eadem ecclesia fuerint ordinandi, in titulo B. Ioannis, sopita omni contradictione, ordinandi conscribantur.

Nos autem, quod canonicè, & ad honorem Dei & B. Ioannis Euangelistæ, & S. Remigij, & necessitatem tam viuorum quàm in Christo dormientium pie de ecclesia Thenensi vobis collatum est, approbantes, præsentis scripti patrocinio reuocatum comunimus,

Et ne aliquis contra id venire, & præfatam traditionem ausu temerario infringere præsumat, eam sigillorum nostrorum subius appensa impressione roborantes, auctoritate Dei Patris omnipotentis & Filij & Spiritus sancti, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, & summi Pontificis, & nostra, sub anathemate, solemniter inhibemus: saluo per omnia iure, & Episcopi diocesani canonica iustitia.

Renouatum est hoc Leodij publicè anno Incarnationis Dominicæ M. C. LXXXIX. Indictione VII. Kalendis Ianuarijs, anno pontificatus domini Clementis Papæ XIV. Huius rei testes sunt,

Albertus maior Præpositus.

Henricus de Engelbert.

Daniel & Thomas, Canonici maioris ecclesie,

Ebalus S. Pauli Decanus.

Henricus S. Bartholomæi Decanus.

Petrus Louaniensis Decanus.

Magister Renerus. Godescalcus de Contexo.

Engelbertus de Orbeta.

Engelbertus de Willenburgh, & alij quàm plures.

#### NOTATIONES.

ALBERTVS) Godefridi III. Lotharingæ inferioris Brabantiaque Ducis



Ducis ex Margariâ Limburgica filius, fuit postea Leodicensis Episcopus, pro defensione libertatis ecclesiasticæ, an. 1192. prope Remorum urbem in Gallia, martyrio coronatus, & Romani Martyrologij tabulis ad diem 21. Nouembris adscriptus. Sacra eius ossa Albertus Pius, Belgarum Princeps, Remis Bruxellam an. 1612. transferenda curauit, & in Carmelitanarum virginum discalceatarum cœnobio collocauit. Paulus V. fortissimum Dei athletam peculiari diplomate cœlitibus adscripsit, quod exstat in Fastis nostris Belgicis.

REFECTORIO.) Canonicos olim communi Refectorio ac mensa yfos fuisse (vt hodie ferè viuunt Patres Oratorij in Italia, Francia, Belgio & alibi) fusè docet Molanus lib. de Canonicis.

## CAPVT LXVI.

*Balduinus Gifnensium Comes, eiusq. vxor Christiana an. 1174. varijs prædijs dotant Abbatiam Claromaresci, seu Clare Paludis, quæ est monachorum ord. Cisterc. primo lapide ab Audomaropoli, in paludibus sita, ubi Insule natantes conspiciuntur.*

**E**GO BALDEVVINVS, Dei gratia Gifnensium Comes, & CHRISTIANA Comissa, vxor mea, pro salute animarum nostrarum, & prædecessorum nostrorum, Abbati David de Claromaresch, & fratribus ibidem Deo seruientibus, & successoribus eorum in perpetuum, quidquid in villula, quæ dicitur Nivverlede, siue in reditibus, siue in seruitijs, seu in terra, seu in aqua, denique totum Comitatum pertinentem ad Gifnense dominium, liberum & perpetuò habendum concessimus & reddidimus; centū quoque mensuras maresci ad virgam Comitatus Flandriæ, ubi eas prædicti fratres melius elegerint; tredecim quoque mensuras maresci, quas Hugo de Recha, & duodecim, quas Lambertus de Eluelinghem de patre meo tenebant, quas præfati milites eisdem fratribus dederunt.

Huic autem donationi addidit etiam pater meus postea, in manu Willelmi Abbatis de Claromaresch, quidquid à terra Willelmi Ridemerie, præigni eius, inferius siue in terras, siue in maresco vanassorum aut rusticorum, ex vtraque parte Reche, ad Gifnensem Comitatum pertinebat, vt & ea, quæ iam acquisierunt, & quæ deinceps acquirere poterunt, liberè possiderent; totam quoque terram & marescum Walcheri, & filiorum eius,

T

sicut



sicut terra Willelmi Redemerie diuidit, quæ Willelmus de Feilum Mathildi de S. Audomaro, vxori suæ, in vadum quadraginta marcarum, in præsentia patris mei dedit ipsa Mathildis, accepto pretio quadraginta marcarum à prædictis fratribus. Walcherus similiter, & filius eius, accepto pretio XX. marcarum, ecclesiæ de Claromaresch, in præsentia patris mei & Baronum eis donauerunt.

Pater quoque meus, pretio duodecim marcarum interueniente, rogatu tamen & concessione ipsorum omnium, precibusque Comitissæ Flandriæ, eandem terram, cum maresco, absolutam & liberam à cunctis redditibus & seruitijs, siue in terris, siue in maresco, & cum vniuerso Comitatu, tam proprietate terræ ipsius Walcheri, quam Wanassorum & rusticorum, præfatæ ecclesiæ concessit, & sigilli sui impressione signauit, & domino MILONE Morinensi Episcopo, vt sub anathemate confirmaret, mandauit.

*Prima donationis testibus.*

Milone Archidiacono, Arnulfo Watenense;  
 Gilleberto Tuanense, Willelmo, Eustathio,  
 Waltero de Arda, Canonicis.  
 Arnulfo Vicecomite de Markenès,  
 Eustathio de Bauelinghem, Hugone  
 filio eius.  
 Reimundo de Toslae, Reimundo filio eius.  
 Manasse de Tornhem, Manasse filio eius.  
 Rainero Dapifero, Hugone de Reche Vicecomite.  
 Lamberto de Eluelinghem.

*Secunda autem donationis testibus.*

Arnulfo presbytero de Tornchem.  
 Willelmo Canonico de Arda.  
 Eustachio de Bauelinghem, Balduino  
 fratre eius.  
 Balduino de Ermelinghem.  
 Eustathio de Liskes, Philippo de Montgardum.  
 Balduino, fratre Henrici de Caupaines.  
 Alelmo de Gisnes, Drogone de Sperleka.  
 Lamberto de Eluelinghem, Willelmo Code.

Conuentum est inter patrem meum, & prædictos fratres, vt si quando pro communi terrarum utilitate superiorum & inferiorum,



in ecclesijs, iussum fuerit fossata renouari, & hoc ipsum Magistro  
grangia nuntiatum fuerit, ipsi etiam, quae fodienda sunt, oportuno  
tempore fodiant, ne per eorum incuriam alijs damnum eueniat.  
Quod si contigerit, & hoc tribus legitimis testibus hinc, & tribus  
iude, id est, ex nostra & eorum parte comprobatum fuerit, quinque  
solidos pro fronsiteo restituent. Volumus quoque, ne publica via ab  
eis vlllo modo obstruatur. Terminus autem maresci Walcheri est, sic  
ut vtraque beka ex vna parte, & riuus aquae ex altera parte diuidunt.

Et sciendum, quod aliquanto tempore post obitum patris mei  
elapsum, cum super marescum praedictorum fratrum calumniam  
ponerem, pro eadem calumnia sepelienda, decem mensuras mare-  
sci mihi dederunt, quas rursus ego & vxor mea Christiana Comitissa  
pro animabus nostris, & patris mei, & praedecessorum nostrorum,  
in perpetuam elemosynam eidem fratribus liberas reddidimus,  
& insuper quidquid in terris, & in maresco, & in aquis, & in pratis,  
in vltima vita patris mei, possederant, & quod ab eodem patre meo  
& hominibus eius vanassoribus & rusticis acquisierat, denique quic-  
quid in Comitatu Gifnensi possident, & quidquid fossata eorum con-  
cludunt, omni calumnia sopita ac sepulta, quietum & liberum praed-  
ictis fratribus iure perpetuo possidendum, in manu domini David  
Abbatis concessimus & dedimus.

Quod ut ratum & inconuulsum & absque calumnia deinceps in  
perpetuum permanere valeat, sigilli mei impressione signaui, & ho-  
minum meorum attestacione munire curauim. Horum autem testes sunt:

Petrus Abbas Arderensis.

Simon de Rodelinghem,

Lambertus de Scala, monachi.

Wildo de Elenbom.

Eustathius de Montgardin.

Eustathius de Baulinghem.

Paganus de Morholt.

Clemens de Arda.

Hugo de Salpervich.

Eustathius Strabo.

Simon de Ekarde.

Manasses de Scardoue.

Matthaeus de Sutkerke.

Actum anno Dominicae Incarnationis M. C. LXXIV. mense Iulio. 1174.



## NOTATIONES.

**BALDEVVINVS)** Gifnensium Comes, Arnulfi seu Arnoldi Comitis Gifnensis filius, Wenemari Castellani Gandensis & Gislæ Gifnensis nepos, à S. Thoma Cantuariensi, quem ex Anglia pulsum Gifnæ hospitio exceperat, creatus est Eques: vt Lambertus Ardenfis in suo Chronico cap. 87. testatur: *Comiti Balduino Thomas, in signum militie, gladium lateri, & calcarea pedibus adaptauit, & alapam collo eius inflixit.* Obijt autem Balduinus anno 1225. vt idem Lambertus & Merus commemorant.

**CHRISTIANA)** vxor Balduini Comitis Gifnensis fuit domina & heres opidi Ardenfis, adeoque filia vnica Arnulphi Vicecomitis: vt idem Lambertus cap. 67. & 85. narrat.

**TOTVM COMITATVM)** id est, districtum.

**MILO)** Archidiaconus, fuit Milonis primi successor in Episcopatu Teruanensi, & fratris eius filius.

**BALDVINVS de Ermelinge hem.)** Comestabilis in Comitatu Bolo-niensi, & celebris in expeditionibus pro Terra sancta susceptis; vt idem Lambertus in citato Chronico narrat.

Comitatus porrò Gifnensis, postquam ducentis plùs minùs annis fuerat penes familiam Castellanos Gandensium, deficiente linea masculina, tandem venit in manus Comitum Euenfium, vulgò *d'Eu*; ex qua gente aliquot Reges Hierosolymitani ac Duces Athenarum prodierunt.

Ex eadem Gandauensi Comitum Gifnensium familia fuit **ENGVERAMVS**, qui ex parte matris suæ dominium Cossiacense, *Concy*, adeptus, illustrem apud Francos gentem Cossiacensem plantauit ac fundauit: vt Andreas Quercetanus in Historia Montmorencia lib. 3. cap. 3. & in Historia Castillionæ lib. 8. cap. 3. fusè narrat.

Libet his subnectere quæ de primis Gifnensium Comitibus leguntur ad calcem Chronici Ardenfis seu Arderensis:

Pluribus ex annis sic fantur scripta Ioannis.

Qui fuerant quondam Comites, in carmina fundam,

Gifnensis terræ, fortes in tempore guerra.

Primus Sifridus, Ardulfus, & inde Rodolphus,

Eustathius, Baldevvinus fundator honesti

Ardenfis templi, Manasses & Emma.



Hi duo struxerunt templum sancti Leonardi.  
 Albertus, Balduinus qui præfuit Ardæ,  
 Hi fuerant Comites non re sed nomine tantum,  
 Inelytus Arnoldus de Ganda qui veniebat,  
 Hic prius in terra, quæ nunc sunt arma, gerebat.  
 Filius illius Baldevvinus generosus  
 Hunc sequitur, probitate pari nimis ingeniosus.  
 Nobilis Arnoldus mitissimus atque benignus  
 Postea processit, cælesti munere dignus.  
 Huic Baldevvinus successit, pacis amator,  
 Consilij speculum, probus in terra moderator.  
 Egregius iuuenis Arnoldus nomine dictus  
 Imperat hinc terræ: valeat, viuat benedictus,  
 Tredecimusque Comes exstat, sit iustus ad omnes.

## CAPVT LXVII.

*Philippus Alsatius, Flandriae Comes, anno 1176. testatur Iuanum  
 Gandanum, Comitem Alostanum, dotasse Mefinensem  
 virginum Benedictinarum Abbatiam in  
 diœcesi Iprensi.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego PHILIPPVS Flan-  
 driæ & Veromandiæ Comes cunctis fidelibus in perpetuum.

Nouerint tam posterì quàm moderni, quòd IUVANVS DE GAN-  
 DAVO, & VXOR eius LAVRETA, soror mea, dederunt in eleemo-  
 synam, p̄s manum Theoderici Comitis Flandriæ, patris mei, ec-  
 clesiæ MECINBENSI terram suam iuxta Comines, quæ appellatur  
 Ploiz, cùm omnibus pertinentijs suis, præter homines feodarios.

Sicut ergò mihi innòtuit hoc esse verum, tam viua voce patris  
 mei & hominum meorum, quàm scripti auctoritate eius sigillo  
 muniti; ita dominium illud, prætaxatæ ecclesiæ legitimè colla-  
 tum, sigilli mei impressione eidem confirmari præcepi, ne quis in  
 posterum hoc infringere aut temerè perturbare præsumat.

Datum Brugis anno Domini M. C. LXXVI.

T 3

NOTA. 1176.



## NOTATIONES.

DE IVANO seu IUVANO, (qui anno 1144. obiit) alijsque Comitibus Alostanis vide Annales nostros Belgicos, an. 1166.

DE MECINENSI) seu Messinensi nobilium virginum Benedictinarum cœnobio, per Balduinum Insulanum, Flandriæ Comitem, eiusque conjugem Adelam fundato, vide Codicem don. piarum tomo 1. cap. 56. & sequentibus.

COMINES) opidum Flandriæ, à quo Philippus Cominæus, laudatissimus ille Historiographus, cognomentum accepit.

## CAPVT LXVIII.

*Henricus I. cognomento Pugnax, Lotharingia inferioris Brabantiaq;  
Dux, ab Henrico V. Imp. ciuibus opidi Siluiducensis,  
nuper conditi, an. 1196. impetrat immunitatem  
à vectigalibus Rhenanis.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, HENRICVS VI. diuina fauente clementia, Romanorum Imperator & Rex Sicilia.

Excellentiæ nostræ benignitas dignum & vtile attendit, vt ea quæ de Imperiali gratia circa fideles & familiares suos largitur, & benignè constituit, ne tam præsentium quàm posterorum ignorantia siue malitia possint aut debeant retractari, priuilegij sui munimine confirmet.

Quapropter notum facimus vniuersis Imperij nostri fidelibus, præsentibus & futuris, quòd nos attendentes puram fidem & multa obsequia, quæ dilectus consanguineus noster HENRICVS, Dux Lotharingiæ, nobis & Imperio constanter exhibuit, ad instantem ipsius postulationem, vniuersos homines suos de noua ciuitate apud SILVAM, qui nunc ibi sunt, & in posterum ad manendum illuc conuenerint (exceptis nostris hominibus, qui ibi recipi non debent) à telonijs nostris, quæ nos vbique in Rheno ad manus nostras habemus, Imperiali benignitate in perpetuum absoluius.

Ita videlicet quòd de rebus, quæ suæ sunt, nullum nobis vel nuntio



tio nostro persoluant telonium, nullaque in eos vel res ipsorum fiat exactio, ipsique aliorum res nec deferant, nec de eis negotientur.

Statuimus igitur & Imperiali auctoritate sanximus, vt nulla omnino persona, humilis vel alta, sæcularis vel ecclesiastica, prædictos homines de noua ciuitate apud SILVAM, qui ibi pro tempore fuerint, præter nostros homines, quos excepimus, contra hanc nostræ Maiestatis concessionem, grauare audeat, vel eos aliquatenus impedire vel molestare.

Quod si quis attentauerit, triginta libras auri pro pœna compenset, dimidium Camerae nostræ, & reliquum passis iniuriam. Ad cuius rei certam in posterum euentiam, præsentem paginam inde conscribi iussimus, & Maiestatis nostræ sigillo communiri. Huius rei testes sunt:

Hartmannus Monasteriensis Episcopus.

Conradus Dux Sueuiæ.

Philippus Dux Tusciæ.

Poppo Comes de Wertheim.

Rubertus de Durne.

Anno de Mincenburg, & alij quàm plures.

Signum Henrici VI. Romanorum Imperatoris, & Regis Siciliae. Et ego CONRADVS, Imperialis aulae Cancellarius, vice Conradi Moguntinae sedis Archiepiscopi, & Germaniæ Archicancellarij, recognoui.

Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis M. CXCVI. Indi- 1196.  
tione XIII. anno regni eius xxvi. Imperij vi. regniq; Siciliae ii.

Datum apud Bopardiam, Kalendis Iunij.

### NOTATIONES.

Immunitatis istius litteras Carolus IV. Imp. anno 1349. confirmauit, petente Ioanne Duce nostro.

APVD SILVAM.) Godefridus Loth. Brabantiaque Dux an. 1172. seu potius filius eius, & in Ducatu successor, Henricus Pugnax, Silniducensem urbem condidit: vt Laur. Cuperus in mss. Brab. Annalibus tradit.

PHILIPPVS Dux Tusciæ.) Est is, nisi fallor, qui in schismate anno 1198. fuit electus contra Othonem IV. Imp.

CAPVT



## CAPVT LXIX.

*Principum Imperij epistola de Othonis IV. Imp. electione, an. 1198.  
data ad Innocentium III. Papam.*

**S**anctissimo patri ac domino INNOCENTIO, sacrosanctæ Romanæ Sedis summo Pontifici, Principes & Barones Alemannia, clerici & laici, debitam in Christo reuerentiam & sinceritatem obsequij.

Cum placuisset ei, qui aufert spiritum Principum, & magnus & terribilis est super Reges terræ, HENRICVM Imperatorem de medio auferre, necessarium nobis fuit visum de substituendo Rege tractatum & colloquium habere. Conuenimus ergo sapius, & miseras & oppressiones, quas hactenus sustinueramus, recensentes, per vniuersos regni. . . . animos nostros exeximus, & quid honori Ecclesiæ Dei, & paci ac quieti subiectorum expediret, deliberantes, nunc vnum, nunc alium quasi finaliter eligere putabamus.

Verum quia non est prudentia, non est potentia, non est consilium nisi per Deum, placuit ei, qui Abrahæ filium immolare volenti victimam prouidit, & David fratribus iuniorem de postferantes accepit, atque Matthiam ex discipulorum numero ad sortem Apostolatus elegit, serenissimum dominum nostrum OTHONEM, quondam Henrici Ducis Saxonie filium, ad regimen Romani Imperij, de terra peregrinationis suæ, ex inopinato offerre nobis.

Inuocata itaque sancti Spiritus gratia, prædictum dominum OTHONEM, Christianæ fidei cultorem deuotissimum, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Aduocatum & defensorem fidelissimum, & iudicialiæ potestatis obseruatorem iustissimum, de longa & antiqua Regum prosapia, ex vtraque linea, specialiter editum, ad Romani regni fastigium iuste & rationabiliter elegimus, & sicut debuimus, ipsius electioni consensimus; ipsumque in Augustorum sede, à Carolo Magno apud Aquisgranum huic dignitati deputata, locauimus, & corona & regni diademate, per manum domini Adolphi Colonienfis Archiepiscopi, eâ qua decuit solemnitate, feliciter coronauimus.

Nos autem Principes, qui iam dictum dominum in Regem elegimus, feuda nostra, quæ ab Imperio tenemus, à manu ipsius recipientes,



tes, hominum sibi fecimus, & fidelitatem iurauimus.

Tantæ igitur dignitatis munus excellentissimus Princeps diuinæ potiùs gratiæ quàm suis meritis adscribens, primitias huius honoris offerens Domino, propria voluntate iuramento firmavit, in primis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, deinde omnium Ecclesiarum iura bonâ fide seruare, & manu tenere, & subiectos Imperij, exheredatos maximè, & à suis possessionibus violenter eiectos, in sua iustitia, pro posse, iuuare & conseruare.

Prauam illam consuetudinem insuper, quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus, vel se mouentibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum huc vsque seruaerunt, penitus extirpans, nos Ecclesiasticos Principes ex hac indebita vexatione Regali beneuolentia liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus seruanda liberaliter statuit.

Paternitati ergò vestræ dignum supplicare duximus, quatenus fidem & deuotionem domini nostri Regis attendentes, merita quoque illustrissimi patris sui Henrici Ducis Saxonie, qui ab obsequio sanctæ Romanæ Ecclesiæ numquam recessit, memoriter tenentes, paci & quieti nostræ & vestræ, intuitu Dei & nostri obsequij, prouidentes, ipsius electionem & consecrationem auctoritate vestra confirmare, & imperiali coronatione armare, paterna pietate dignemini.

Sanctitatem insuper vestram obnixè rogamus, quatenus Principes & Barones, à tam rationabili electione discordes, ecclesiastica censura ad concordiam reuocetis, & ab illicita fidelitate partis aduersæ, clauis S. Petri resolutos, ad præstandam Regi domino nostro fidelitatem & subiectionem, auctoritate vestra compellatis.

Vt autem à domino Rege nostro iura Romanæ Ecclesiæ ( vt prædictum est ) integra & illibata seruentur, nos in bona fide spondemus, & pro domino Rege nostro fideiubemus.

Ego Adolphus, Coloniensis Archiepiscopus, elegi & subscripsi.

Ego Bernardus, Paderbornensis Episcopus, elegi & subscripsi.

Ego Thietmarus, Mindensis Episcopus, elegi & subscripsi.

Ego Wittichindus, Corbeiensis Abbas, elegi & subscripsi.

Ego Gerardus, Tudenensis Abbas, elegi & subscripsi.

Ego Heriberus, Werdensis Abbas, elegi & subscripsi.

Ego Henricus Dux Lotharingie, qui & Brabantie, Marchio

Romani Imperij, elegi & subscripsi.

V

Ego



Ego Henricus Comes de Cuke consensit & subscripsit.

NOTATIONES.

FREDERICO I. Barbarossæ an. 1190. defuncto primogenitus filius HENRICVS dictus VI. in Imperio successit, quem anno 1191. Celestinus Papa Romæ coronauit.

Anno 1196. Henrico VI. mortuo, schisma in Imperio ortum fuit. Nonnulli Philippum, Henrici iam dicti fratrem, alij Othonem Henrici Leonis, Ducis Saxonix ac Bavarix, filium, elegerunt, an. 1198. vt Auctarij Aquicinctini scriptor, qui tunc vixit, dilènter tradit. Rem totam Trithemius in Chron. Hirsaugiensi his verbis breuiter narrat:

Adolphus Archiepiscopus Colonienfis, & Theodericus Archiepiscopus Treuerenfis, habito consilio apud Andernacum cum Bernardo Duce, & alijs Episcopis, Comitibus atque Nobilibus pluribus, curiam omnibus Principibus ad Dominicam, Oculi mei, in Colonia generalem indicunt, pro noui Regis electione celebranda. Interea Marchiones Orientales, Conradus Archiepiscopus Moguntinus, Bernardus Dux Saxonix, (de quo supra pag. 127. egimus) Archiepiscopus Magdeburgensis, & alij Principes superiores, apud Erphurdiam conuenientes, PHILIPPVM Ducem Sueuix in Regem Romanorum elegerunt, fratrem videlicet Henrici Imperatoris defuncti.

Statuto igitur die, præfati Principes ad Coloniam conuenientes, BERTOLFVM Ducem de Zeringen, quem se promiserant electuros, magno præstolabantur desiderio venturum: qui cum 11000. marcarum argenti, cum Ducatu Sueuix, à Philippo accepisset, electionique renuntiasset, venire contempsit. Quod cum prædictis innotuisset Principibus, nimium indignati, OTHONEM Pictauix Comitem, filium quondam Henrici Ducis Saxonix, in Regem Romanorum contra PHILIPPVM elegerunt.

Ex his Trithemij verbis datur intelligi, quæ causa Innocentium III. Papam impulerit, vt Decretalem illam epistolam (ex qua desumptum est Capitulum, *Venerabilem*, Extra. de Electione & electi potestate) ad Bertholdum Zæringix Ducem scriberet.

Qua quidem epistola ipsum monet, vt Philippum, cui se acceptis

rum.



nummis obstrinxerat, & cui ius omne suum cesserat, prorsus deserat, utpote excommunicatum iam ante electionem, & ut *Othonem* Regem amplectatur. Exstat dicta Decretalis epistola, ab Antonio Augustino, Tarraconensi Archiepiscopo, & Jacobo Cuiacio, celeberrimis nostri qui Iureconsultis, integrati suæ restituta.

Philippus tamen etsi à Romano Pontifice reiectus, longo ac cruento bello cum Othone competitore dimicavit, regnumque vi annis nouem, hoc est, usque ad mortem, tenuit, quam ipsi Otho Comes Witelsbachius anno 1208. mense Iunio Bambergæ violenta manu intulit. Othoni huic Fredericus I. Imp. Ducatum Bauariæ contulerat: ut supra cap. 59. diximus.

Philippo è viuis sublato, OTHONEM IV. in schismate pariter electum Imperij proceres concordibus suffragijs suffecerunt, & Innocentius III. anno 1209. mense Octobri Romæ Augustum coronauit. Is Pontifici, à quo in eo fastigio positus fuerat, postea infensus, Pontificiam ditionem inuasit. Anno itaque vertente, in Concilio Romæ habito, Othoni Imperium est abrogatum, notâ anathematis additâ.

Germaniæ porrò Principes, Pontificis auctoritatem secuti, **FREDERICVM**, Siciliæ Regem, Frederici Barbarossæ nepotem, Cæsarem creantur, & Honorius III. titulis Imperij decorauit. Princeps is fuit primò laudabilis, sed postea corruptus, improbitate cum auo & Henrico patre certauit. Itaque decus & nomen Augusti, anno 1245. in Concilio Lugduensi oecumenico Innocentius IV. ipsi ademit.

Frederico deposito, non pauci Principes **HENRICVM** cognomento Rasponem, Hermanni Thuringiæ Lantgrauij filium, subrogarunt.

Quò mortuo an. 1247. Henricus Dux Brabantiae, filium sororis suæ, **GVILLIELMVM** Hollandiæ Comitem, Domino Papæ & Episcopis Alemanniæ præsentauit: quem Episcopi elegerunt in Regem apud Coloniam, promittentes ei, iuramento præstito, rebus & personis fideliter adfistere: ut in veteri Fragmento historico legitur.

Guilielmo à Frisijs occiso, **RICHARDVS** Dux Cornubiæ à nonnullis, ab alijs verò **ALFONSVS** Rex Castellæ est electus, Germaniâ varias in partes scissâ: donec tandem, post fœda multorum annorum certamina, **RVDOLPHVS** Habsburgensis Comes, gentis Austriacæ conditor, vnanimi Septemuirorum consensu, Cæsar est renuntiatus.

**OTHO IV.** Imp.) fuit filius Henrici Leonis, Ducis Saxoniae & Bauariæ,



Bauariæ, quem Fredericus I. Imp. ex duabus istis prouincijs pepulit, & à quo Duces Brunsvicenses originem trahunt: vt supra cap. 59. diximus. Mater porro Othonis IV. fuit soror Richardi Regis Angliæ. Vxorem Otho habuit N. filiam Godefridi III. Brabantia Ducis: vt in Auctario Aquicinctino anno 1198. legitur.

DE TERRA peregrinationis suæ) id est, ex Anglia.

QVI ET BRABANTIA.) Henricus cognomento Pugnax, & illo nomine primus Dux noster, titulo Lotharingia (quo solo eius antecessores vsi fuerant) titulum Brabantia primus adiecit. Quod nō tent antiquitatis Brabantina studiosi.

## CAPVT LXX.

*Philippus cognomento Nobilis, Comes ac Marchio Namurcensis, anno 1207. declarat, non nisi nobiles feminas admittendas esse ad collegium Canonicarum virginum Andennensium, in Comitatu Namurcensi.*

**P**HILIPPVS Marchio Namurcensis vniversis Christi fidelibus, tam presentibus quàm futuris, in perpetuum.

Cum omnibus ecclesijs sub mea constitutis protectione, ad auctiōnem iuris & honoris sui, maiorem teneat adhibere diligentiam, eas tamen ampliore cura & beneficio honorare decreui, quarum fides & deuotio certioribus mihi innotuit argumentis.

Inde est, quod ecclesiam ANDANENSEM, quam in iure & honore suo & libertate & antiquis institutionibus volens plenius . . . . . tamquam Abbas & Aduocatus, saluis ijs, quæ antea gesta fuerant, concedo ei, & legitima auctiōne confirmo, quod nullam amodò in præbendis dominarum in ecclesia illa feminam instituere debeant, quam non constet esse nobilem, & nobilibus ortamparentibus.

Nec aliqua suscipiatur in posterum ad præbendam, quæ in aliqua alia ecclesia præbendam habuerit. Datum anno 1207. mense Augusto.

NOTATIO.



## NOTATIONES.

ANDANA) siue Andenna est municipium celebre in Comitatu Namurcensi, haut procul à ripa fl. Mosæ situm, in quo S. BEGGA, soror S. Gertrudis Niuellensis, post cædem mariti sui Anigisi, anno 686. nobilium virginum Canonicarum fundauit, vt Sigebertus in Chronico tradit; primis virginibus ab Agnete Abbatissa tertia Niuellensi impetratis: vt in vita S. Gertrudis, iussu Dominicæ Abbatissæ, quæ Agneti successit, conscripta, & in vita S. BEGGÆ legitur. Vide tomum I. Codicis donat. piarum, cap. 13. & Fastos nostros Belgicos.

*De Comitibus Namurcensibus.*

**I**N libro, quem de Stemmatibus Principum Belgij publicauimus, cap. 23. non nihil lapsi sumus (quod humanum est) in ijs, quæ spectant ad primos Comites Namurcenses. Quem errorem libet hîc breuiter emendare.

Tres ex ordine Albertos fuisse Comites Namurcenses, constat ex lacuna, quam, iuxta fidem ms. codicis, in Genealogia S. Arnulfi Merensis Episcopi, lib. citato suppleuimus.

ALBERTVS eo nomine primus circa annum Christi millesimum floruit, & vxorem habuit ERMENGARDEM, Caroli I. Ducis Lotharingiæ inferioris filiam: ex qua nati, ALBERTVS II. Comes Namurcensis, HADEVVIDIS vxor Gerardi Alsatijs, Ducis Lotharingiæ superioris, & Emma Comitissa Loffensis. I.

ALBERTVS II. anno 1046. Namurcense Canonicorum S. Albani collegium instituit, quod nunc est cathedrale. Vxor illi fuit REGELINDIS, filia Gothilonis Magni, Ducis Lotharingiæ superioris & inferioris: qui Gothilo anno 1044. obiit. Sunt qui putant, hunc ALBERTVM II. esse eundem cum Adelberto Duce sexto Lotharingiæ Mosellanae, qui anno 1048. à Godefrido Barbato, Gothilonis Magni filio, est interemptus. Alij aliter sentiunt, & scribunt dictum Adelbertum fuisse Comitem de Longuy. Ego quod certò statnam, non habeo. II.

ALBERTVS III. genuit Fredericum Episcopum Leodicensem, III.  
V 3
Godefri-



Godefridum Comitem Namurcensem, Henricum & Albertum.

GODEFRIDVS ) cum vxore sua Ermensenda, an. 1121. fundauit  
Abbatiam Floreffensem, quæ est tertia vniuersi ordinis Præmon-  
stratensis.

HENRICVS ) cognomento Cæcus, Godefridi filius, Comes Na-  
murcensis & Lutzeburgensis, admodum senex, post annum 1188.  
viuere desijt.

Henrico auunculo suo in Comitatu Namurcensi successit BAL-  
DUINVS Magnanimus, Flandriæ & Hannoniæ Comes, qui an. 1195.  
viuere desijt, sepultus Montibus Hannoniæ, in templo S. Waldetrū-  
dis.

Balduino Magnanimo patri suo successus est PHILIPPVS cogno-  
mento Nobilis, qui numerum XX. præbendarum in ecclesia S. Alba-  
ni tribus præbendis auxit, & XX. Vicarias seu Capellanas ibidem  
instituit. Obijt an. 1213. non relictis liberis ex Maria, Philippi Au-  
gusti Francorum Regis filia, quæ postea Henrico I. Brabantia Ducī  
nupsit, & Affligemij quiescit.

De his & alijs Comitibus ac Marchionibus Namurcensibus plura  
si voles, Stemmata nostra Belgica cap. 23. lege.

Libet his annectere quæ de pago Namurcensi, eiusque Comitibus  
Petrus Diuæus scribit in libro De statu Gallia Belgicæ sub Franco-  
rum Imperio, nondum typis edito:

Namurcum, priscis Nametodurum dictum lego. Primam eius  
mentionem inuenio in gestis anni 689. apud Sigebertum: Inter Papi-  
num (inquit) & Gislemarum, filium Warathonis, apud Namucum  
castrum pugna committitur. Hæc ille.

Placentius Episcoporum aliquot Tungrorum & Traiectensium  
genus à Comitibus Namurcensibus deducit, plusquam poetica li-  
centia, in fingendis Principatum nominibus, passim vsus. Ego apud  
temporum scriptores, ALBERTVM, maritum Ermengardis, filia  
Caroli Ducis Lotharingæ, Namurcum dotale possedisse lego, ante  
annum 1000.

Filius eius ac successor ALBERTVS anno 1046. collegium Cano-  
nicorum Namurci instituit: de quo vetustus quidam Chronographus,  
quem manuscriptum vidi, Anno, inquit, Domini 1048. in bello apud  
Richouium à Godefrido Duce occiditur Albertus Comes Namur-  
censis, qui ecclesiam S. Albani reedificauit, & XX. Canonicos ibi  
instituit.



instituit. Hæc ille. Crediderim hunc fuisse, qui ab Henrico III. Imp. Ducatum Mosellanum acceperat.

Huic ALBERTVS III. successit, Albertique filius Godefridus Henricum genuit, Adelam & Isabellam, Hæc Henrico Luxeburgensi, illa Balduino Hannoniæ Comiti, nupsere. Inter quorum posteros, mortuo sine liberis Henrico, variè diuque dimicatum.

Porro de prisca latitudine pagi Namurcensis nobis incomperum: nostro tempore Comitatus iste Namurcum, Bouinas, Florinas, Valecurtem, aliaque nonnulla loca complectitur. Hactenus Diuus.

## CAPVT LXXI.

*Pañum inter Henricum I. Loth. Brabantiaq; Ducem, & Ecclesiam Montensem S. Waldetrudis, super exstructione opidi Herentalensis, initum an. 1209.*

**E**VSTATHIUS Præpositus, HAVVIDIS Decana, & totum Capitulum S. Waldetrudis in Montibus, vniuersis Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris in perpetuum.

Notum & certum vniuersitatis vestræ facimus discretioni, quòd cum Princeps illustris HENRICVS Dux Lotharingæ, & Marchio Antuerpiæ, in territorio & potestate de HERENTALS, burgesiam nouam construeret, & nos inde reclamaciones & querimonias faceremus, ipse Dux iam dictus, bono ductus spiritu, pro sui & dilectæ coniugis suæ MACHTILDIS, nobilis Ducissæ, animarum remedio benignè nobiscum pacem firmam inijt & concordiam.

Compositum quidem est de benigno & communi sui & nostri consensu, quòd saluis & retentis nobis censibus & redditibus nostris, & decimis, Villicoque nostro cum Scabinis & iure mansionariorum nostrorum ac hereditariorum, tam in villa Herentals, quam campis, aqua, molendinis, & nemoribus, sicut ea tenebamus, antequam prædicta burgesia construeretur, eadem burgesia, tam constructa & constituta, quam in posterum construenda, & constituenda, omnesque vastinæ, quæ terræ siluestres dicuntur, totius alodij & potestatis de Herentals, ipsi Duci & nobis communes permaneant.

Ita tamen, quòd totius burgesia præfata, tam statuta & constructæ, quam



quàm in posterum statuendæ & construendæ, tam in redivibus, quàm alijs prouentibus medietas cedat in partem nostram, perpetuò per Villicum aut ministrum nostrum custodienda & percipienda, alia verò medietas in partem prædicti Ducis deueniat, perpetuò per Villicum & ministrum suum custodienda & percipienda.

Similiter de vastinis prædictis, quæ terræ siluestres dicuntur, ad suam & nostram communitatem pertinentibus, nihil alicui conferri aut concedi potest, nisi communi & concordi Villici sui & Villici nostri consensu, & Scabinorum nostrorum & suorum, & nisi obseruato suo aut nostro communi & meliori commo, in quibus nos, tam in redivibus quàm censibus, & seruitijs & denarijs medietatem habeamus Dux verò aliam medietatem habeat, præter decimas burgesia & vastinarum, omnes ad nostram proprietatem pertinentes.

Villicus ipsius Ducis, & Villicus noster, & Scabini burgesia communem Duci & nobis semper tenentur exhibere fidelitatem. De omnibus autem prædictis, quæ infra alodium & potestatem de Herentals sibi retinuit, non liceat sibi aut alicui successori suo, aliquid alicui dare aut vendere vel inuadiare, seu in feodum aut beneficium vel censum concedere, vel in eleemosynam conferre, nisi nobis & Ecclesie S. Waldetrudis, sed ea semper ad manam suam & proprietatem retinere debet is qui Ducatum Lotharingæ possidebit. In prædictis quippe alta iustitia satisdicto Duci, suisque successoribus tota sine participatione remaneat.

Ut hæc autem rata habeantur, & inuiolata permaneant, scripti præsentis annotatione & sigilli nostri appensione eadem approbamus plenius, & confirmamus. Testes:

Gillebertus Præpositus S. Germani Montensis.

Nicolaus Nacha, Romondus,

Wilhelmus Eueram,

Walterus Geruasij,

Ludouicus, & alij Canonici B. Waldetrudis.

Machtildis & Agnes de Fontaines,

Gela de Hormetis,

Maria & Bertha & Iacquelina de Quarigum,

Bessela de Louvvis,

Petronilla de Ladusa,

Aleidis de Goy,

Elisabeth



Elisabeth & Clariffia de S. Simphoriano, & alia Dominæ  
Montensis ecclesiæ.

Actum anno verbi incarnati millesimo ducentesimo nono, men- 1209.  
se Octobri.

## NOTATIONES.

Pactum istud suo diplomate anno 1221. confirmavit Henricus  
primogenitus Henrici I. Brabantia Ducis.

S. WALDETRVDIS) vxor S. Vincentij Comitis Sonegiensis & Alti-  
montensis, an. 651. floruit, & Montense nobilium virginum Canoni-  
carum in Hannonia collegiũ fundauit; vt in Fastis Belgicis explicui.

HERENTALS) burgesia seu opidum Campaniæ Brabantinæ, anno  
1209. muris cinctum.

VILLICVS) id est, Prætor, seu Præfectus iustitiæ.

## CAPVT LXII.

*Contractus nuptialis inter VValeramum, Henrici Ducis Limburgen-  
sis filium, & Ermensindam Comitissam Lutzeburgen-  
sem, anno 1214. initus.*

**E**GO WALRAMVS, filius Henrici Ducis de Limborch, & Marchio  
Arlunensis, castrum meum de *Arlon*, cum omnibus appenditijs,  
tam in hominibus, quàm calamentis, & rebus omnibus, ad idem ca-  
strum meum pertinentibus, laude & assensu prædicti patris mei, Du-  
cis, & fratrum meorum, Henrici de Vaxemberch, & Gerardi de Hor-  
ne, & etiam filiorum meorum, Henrici & Walrami . . . . . dominæ  
ERMENSENDI, Comitissæ Lucelburgensi & Rupensi, vxori meæ  
in legitimam dotem contuli & concessi . . . . .

Si vxor mea ERMENSENDIS de me prolem susceperit, quilibet  
heredum tam illorum, quos de me genuerit, quàm ille heres, quem  
vxor mea prædicta, priusquam eam ducerem, habebat, in hereditate  
habeat id quod de iure debet habere.

Si verò demum prolem non habuerit, hereditas sua ad heredem  
suum reuertetur; hereditas autem mea meis heredibus remanebit . . .

Hæc omnia . . . . . me firmiter & semper seruaturum super sacro-  
sanctas reliquias iuravi, anno 1214. mense Maio.



*De Comitibus ac Ducibus Limburgensibus.*

- I. **WALERAMVS I.** Comes Limburgensis ex Muta, sive, ut Andreas Quercetanus legit, Iutha, hoc est, Iuditha, Frederici Lotharingiae inferioris Ducis filia, genuit Henricum cognomento Exducem.
- II. **HENRICVS Exdux,** God. Bullonio an. 1100. sine liberis defuncto, in Ducatu inferioris Lotharingiae an. 1101. ab Henrico IV. Imp. est susceptus, eodemque postea an. 1106. priuatus.
- III. **WALERAMVS II.** cognomento Paganus, Henrici Exducis filius, an. 1126. Ducatum à Lothario Imp. rursus impetrauit; quem Conradus, Lotharij in Imperio successor, an. 1138. eidem rursus ademit. Est hic Paganus, nisi fallor, qui diplomati Antuerpiensi an. 1119. (sic enim legendum, non 1125.) dato subscripsit, quod exstat tomo I. Cod. cap. 8.
- IV. **HENRICVS II.** Walerami II. filius cum fratre suo Waleramo, Comite de Arlon, an. 1146. diplomati Cameracensi subscripsit, quod supra cap. 59. recitauimus. Eiusdem Henrici II. filiam Margaritam Godefridus III. Brabantiae Dux an. 1146. duxit uxorem: ut in Auctario Affligemiensi legitur. Sunt qui volunt Henricum II. admodum senem anno 1221. demum obiisse: quod alijs discutiendum reliquo.
- V. **WALERAMVS III.** Henrici II. filius, patre suo adhuc uiuente, anno 1198. Aquasgrani defendit pro Philippo Tusciae vel Sueuiae Duce, quem nonnulli Germaniae proceres eodem ipso anno Caesarem elegerant contra Orthonem IV. Henrici Leonis, Saxoniae Bauariaeque Ducis, filium: ut in Auct. Aquicinctino narratur.  
Idem Waleramus anno 1214. Ermenfendam, Henrici Comitis Lutzeburgensis filiam, sibi coniugem sumpsit: ut ex diplomate iam recitato liquet.
- VI. Waleramo III. successit **HENRICVS III.** cognomento Blondellus, Dux Limburgensis, & Comes Lutzeburgensis: qui an fuerit Walerami III. filius, an nepos, dubitat Diuæus.
- VII. Henrico III. sine liberis an. 1284. mortuo, **IOANNES I.** Brabantiae Dux Limburgum occupauit. Qua de re Chronicon nostrum, cum Sigeberto Gemblacensi editum, consule.  
Nec id prætereundum, Comites Limburgenses, postquam semel  
Ducatum



Ducatum Lotharingæ obtinuissent, Ducalem semper titulum gefisse.

EGO WALRAMVS. ) Fuit is postea Dux Limburgensis illo nomine tertius: de quo paulò ante egimus.

GERARDI DE HORNE. ) Ab isto Gerardo, adeoque à Ducibus Limburgensibus stirpem suam deducit nobilissima familia Comitum Hornensium, quæ tres hodie Comitatus possidet, *Houtkercke* in Flandria, *Herlies* in Artesia, & *Bassigny* in Gallia.

Est autem Hornensis Comitatus in diocesi Leodicensi situs, & possidetur hodie ab Episcopo Leodicensi, cum arce Hornana, quæ ex opposito Ruræmundensis vrbis vltra Mosam visitur.

RVPENSIS. ) In silua Arduenna multi olim fuere Comitatus; vt *Bedensis*, in quo S. Willibrordus Epternacense monasterium condidit; *Metingouensis*, in quo situm est Lützeburgense opidum, vt supra cap. 19. diximus; & *Rupensis*, vulgò de la Roche. Quorum postremus est idem cum Ardennensi Comitatu, quem Henricus, Sigifridi primi Comitis Lützeburgensis filius, possedit: vt supra cap. 25. diximus.

## CAPVT LXXIII.

*Ferdinandus, Flandria & Hannonia Comes, Ioanna Constantinopolitana maritus, Dongionem seu penetrabile palatij Valentianensis anno 1220. donat fratribus Minoribus, ad exstruendum monasterium.*

**N**OS FERNANDVS de Portugallia, Dei gratia Flandria & Hannonia Comes, de beneplacito & assensu domini nostri Regis Franciæ, & ad eius requestam, in omnium peccatorum nostrorum remissionem, & vt Dei gratiam consequi valeamus, Fratribus MINORIBVS, in suburbanis villæ nostræ Valencenensis commorantibus, eiusdem villæ Dongionem cedimus & donamus; XX. solidos annuos duntaxat exceptos pro feodo, & dominium penes nos retinentes.

Hac præsupposita conditione, quòd IOANNA, prædictarum provinciarum Comitissæ, consoris nostræ, assensus beneplaciti ad hoc concurrat, & voluntas.



In cuius rei testimonium sigillum, quo nunc in remotis utimur, presentibus est appensum.

1220. Datum Parisijs in Lupara an. Domini M. CC. XX. in mense Martio.

*Ioanna Constantinopolitana, Flandriae & Hannoniae Comitissa, donationem Dongionis Valentianensis, à Ferdinando marito fratribus Minoribus factam, approbat anno 1225.*

**N**OS IOANNA, Flandriae & Hannoniae Comitissa, in remissionem peccatorum nostrorum, donationem DONGIONIS Valentianensis, & XX. solidorum annuorum ac dominij retentionem communem, à FERNANDO prouinciarum praedictarum Comite, marito ac domino nostro, fratribus Minoribus Valentianensibus factam, approbamus, & approbatam ratificamus; ut per praesentes declaramus. Et in testimonium praedictorum sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum.

1225. Datum in Insulis, anno Domini M. CC. XXV. in Aprili.

### NOTATIONES.

FERNANDVS) Ferrandus seu Ferdinandus, Sanctij Lusitaniae Regis filius, Flandriae & Hannoniae Comes, praelio Bouinensi à Francis an. 1214. captus, in arce Lupara, Loure, Regum Galliae nunc palatio, iuxta Lutetiam Parisiorum, diu custoditus fuit, ac demum lytro persoluto, anno 1227. dimissus.

VALENTIANÆ seu Valentianens.) Valenciennes, vrbs ampla ad Scaldim fl. inter Montes Hannoniae & Duacum sita, Comitatus olim titulo insignis fuit: in qua Carolus Magnus Imp. conuentus aliquando habuisse ex Herberro, vitae illius scriptore, in gestis anni 771. & ex Aimoino lib. 4. cap. 68. constat.

Arnulfus Comes Valentianensis, temporibus Rothardi Episcopi Cameracensis, Abbatiam S. Ioannis, Canonicorum regularium, Valentianis fundauit: ut Baldericus lib. 2. cap. 30. in Chron. Cameracensi narrat. Idem aut fortè alius eiusdem nominis, cum multa in pago Bracbatensi possideret, partem eorum anno 984. monasterio S. Petri Gandensis donauit: ut Meierus tradit.

In



In vrbe porrò Valentianensi, petente Philippo Augusto Francorum Rege, fundus an. 1220. à Ferdinando Comite Franciscanis datus est, ad monasterium exstruendum. Quo tempore inter viuos adhuc supererat S. Franciscus, illius instituti conditor, qui an. 1226. demum obiit. Eodem superite, vt arbitror, ædificata sunt Leniense, & Atrebatense monasteria, à B. Pacifico: de quo in Fastis Belgicis 10. Iulij egimus.

INSVLÆ seu Iusula) Lille Gallis, nostris *Ryssel*, Flandriæ emporium: quod tomo I. Cod. cap. 59. laudauimus.

## CAPVT LXXIV.

*Henricus I. Lotharingia inferioris & Brabantia Dux, Thenense XII. Canonorum S. Germani collegium fundat ac dotat anno 1221.*

**H**ENRICVS Dei gratia Dux Lotharingæ, omnibus hoc scriptum videntibus salutem.

Sciatis quòd nos ad præbendas faciendas THENIS in ecclesia B. Germani, pro salute prædecessorum & successorum nostrorum, & pro nostræ animæ salute, contulimus in eleemosynam eidem ecclesiæ XII. bonaria paludis, quæ tenemus iuxta *VValseberghe*, & decimam de tota palude, quàm primùm ad prata & ad quæcumque commoda fuerit conuersa, scilicet de octoginta & tribus bonarijs, quæ ibidem tenemus, & ad hæc tria terræ bonaria iuxta *Boffi*.

Et vt hæc clausula cunctis temporibus ipsi ecclesiæ sit stabilis & rata, præsens scriptum sigillo nostro sigillatum tradimus. In testimonium testes,

Gosvvinus de Gorencourt.

D. Walterus Decanus Thenensis.

N. Scholasticus de Thenis.

N. de Hopen Notarius, & alij complures,

Datum anno Domini M. CC. XXI.

1221

X 3

NOTA



## NOTATIO.

Canonicatum seu præbendarum ecclesiæ S. Germani Thenensis collatores hodieque sunt per turnum Canonici S. Ioannis Leodicensis. Qua de re vide supra cap. 65.

## CAPVT LXXV.

*Henricus I. Lotharingia inferioris ac Brabantia Dux Bruxellis, in SS. Michaelis & Gudila basilica, collegium minus Canonorum X. fundat ac dotat anno 1226.*

**H**ENRICVS Dei gratia Dux Lotharingiæ, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Nos considerantes quod ait Apostolus, Qui parçè seminat, parçè & metet, & qui seminat in benedictionibus, metet vitam æternam, seminare proponimus in terris, vnde Domino reddente multiplicatum fructum in cœlis colligere debeamus.

Cùm igitur in ecclesia Bruxellensi à prædecessoribus nostris pauci sint Canonici instituti, à quibus pro modulo suæ paucitatis Deo laudabiliter seruiatur, nos cupientes cultum diuinum ampliare, & Canoniorum numerum augmentare, pro salute nostra, & pro salute animarum prædecessorum & successorum nostrorum, necnon & vxorum nostrarum, MATHILDIS scilicet & MARIÆ, liberaliter & absolutè memoratæ ecclesiæ Bruxellensi, quæ ad voluntatem nostram & admonitionem de nouo reædificari incipit, in honorem beatissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ, concedimus & donamus allodium nostrum in *Didenghem*, quod comparauimus à nobili viro *Ægidio de Wangha*, & duas partes totius decimæ de *Golpa*, tam in cultis quàm in excolendis, cum ecclesia eiusdem villæ, necnon & quattuor mansos terræ ibidem.

Hæc autem concedimus, ad vsum decem Canoniorum, de nouo instituendorum in ecclesia memorata, qui à Decano & Capitulo debent eligi, & nobis & successoribus præsentari: nec aliquid de prædictis bonis percipient, si non faciant residentiam personalem, & si admo-



admoniti à Decano & Capitulo, ad sacros ordines non sint promoti, nisi Decano & Capitulo videatur aliud pro vtilitate Ecclesiæ faciendum.

Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mensis Augusti. 1226.

## NOTATIONES.

In augusta S. Michaelis basilica, quæ nunc S. Gudilæ dicitur, duplex residet Canonorum collegium, maius scilicet & minus. Ex his prius est XII. Canonorum, à LAMBERTO Baldrico, Comite Brabatensi ac Louaniensi, an. 1047. fundatum: cuius diploma tom. 1. Codicis nostri cap. 48. recitauimus. Alterum, quod est X. Canonorum, condidit ac dotauit HENRICVS I. eo nomine Dux noster, frater S. Alberti Leodicensis Episcopi, Bruxellæ in cœnobio Carmelitanarum virginum quiescentis. Henricus autem anno 1235. obiit, Louanij ad S. Petrum in medio choro sepultus.

MATHILDIS) seu Machtildis, N. Comitis Boloniensis filia.

MARIA) Philippi Augusti Francorum Regis filia, prioribus nuptijs iuncta fuerat Philippo Nobili, Comiti Namurcensi, de quo supra cap. 70.

DIDENGHEM) vicus, secundo lapide à Bruxella via Louaniensi, hodie *Dighem*.

GOLPA) nunc *Hulpen*, vicus tertio lapide à Bruxella, haut procul à Valle-viridi, Canonorum regularium cœnobio in silua Sonia.

REÆDIFICARI.) Hinc liquet, augustum S. Gudilæ templum Bruxellense, quod hodie exstat, ab Henrico I. Brabantix Duce ædificari cœptum.

## CAPVT LXXVI.

*Ioanna Constantinopolitana, Flandria & Hannonia Comitissa,  
cœnobium Dominicanorum in vrbe Valentianensi  
fundat an. 1233.*

**I**OANNA, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, omnibus presentes litteras inspecturis salutem.

*Nouering*



Nouerint vniuersi, quòd cum Prior S. Saluij, & totus illius loci conuentus, & Ioannes presbyter parochialis B. Mariæ de Calceia, in Valencenis, Priori & fratribus de ordine Prædicatorum liberaliter concessissent, vt in loco eis assignato, in manso Iacobi de Campania in Valencenis, liberè possent ecclesiam ædificare, cœmiterium liberum habere, oblationes recipere, & alia omnia facere, quæ ordinis eorum instituta requirunt:

Hoc saluo, quòd si quis parochianorum ipsorum apud Fratres elegerit sepulturam, priùs in parochia sua Missam habeat, nisi à sacerdote parochiæ, vel Persona fuerit relaxatum, pro recompensatione damnorum, quæ ex hoc ecclesiæ S. Saluij vel parochiali ecclesiæ loci prædicti possent euenire in posterum:

Ego pro fratribus Prædicatoribus ex parte vna, & dominus Prior & conuentus S. Saluij, & Ioannes presbyter parochialis B. Mariæ ex altera, compromisimus vnanimiter in viros venerabiles, D. Decanum Christianitatis Valencenensis, Magistrum Gerardum Remensem, Canonicum Tornacensem, & Hellinum militem, dominum de Alneto; ratum habentes & firmum, quidquid ipsi super his dicant ordinandum.

Qui, consideratis omnibus diligenter, per arbitrium suum, de communi assensu partium, vnanimiter prolatum assignauerunt iam dictis Priori & conuentui quattuor bonaria terræ prati, sita iuxta domum ipsorum in communi pastura, in loco, qui dicitur Prarum communis, ab ecclesia S. Saluij perpetuò possidenda: quæ ego eidem ecclesiæ aduersus omnes homines garandire tenebor.

Dicti autem Prior & conuentus S. Saluij, presbytero parochiali B. Mariæ in Calceja, pro iure parochiali, quod in loco illo habebat aut habiturus erat, XX. solidos Valencenenses, in Natiuitate Domini, in ecclesia B. Mariæ super altare suum annuatim soluere tenebuntur.

Et pro hoc dominus Prior præfatus, cum toto conuentu suo, & presbyter parochialis iam dictus, me & Priorem & Fratres ordinis Prædicatorum ab omnibus damnis suprædictis, & ab omni recompensatione pro eis facienda in perpetuum quitauerunt.

Concessimus autem omnes ex vtraque parte, quòd dicti loci arbitri possint dictum suum declarare & explanare, si quid fortè occurrat ambiguum, secundum quod viderint expedire, cum à me vel Priore vel conuentu, vel etià à Fratribus antedictis fuerint requisiti.

Hæc



Hæc autem omnia per arbitros antedictos, & per meum, & per fratrum Prædicatorum ex vna parte, & Prioris & conuentus & presbyteri parochialis, qui supra nominati sunt, consensum vnanimiter, facta sunt & concessa. Quæ omnia vt rata sint & firma, præsentem paginam sigilli mei munimine roborauit.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo trecesimo tertio, 1233. mense Octobri.

## NOTATIO.

S. SALVIUS) Episcopus Engolismensis, prope Valentianas, anno 801. martyrio est coronatus: vt Sigebertus tradit. Carolus Magnus Imp. sacrum eius corpus è terra leuauit, & ad vicinam S. Martini basilicam transtulit, cœnobio ibidem excitato, quod hodie est Prioratus monachorum ord. Cluniacensis: in quo etiamnum quiescit. Martyrologium Rom. & Fastos nostros Belgicos 26. Iunij consule.

## CAPVT LXXVII.

*Abbatia monialium ord. Cisterciensis, dicta Refugium B. Mariae, Athi in Hannonia, fundatur per Ioannam Constantinopolitanam, Flandriae & Hannonia Comitissam, anno 1234.*

**M**ARGARETA Flandriae & Hannonia Comitissa, vniuersis prætes litteras inspecturis salutem.

Noueritis nos litteras felicis recordationis carissimæ dominæ, sororis nostræ, IOANNÆ quondam Flandriae & Hannonia Comitissæ, non concellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui vitiatas vidisse in hæc verba:

IOANNA Flandriae & Hannonia Comitissa vniuersis prætes litteras inspecturis salutem in Domino.

Præsentium testimonio notum facimus vniuersis, quod cum quædam moniales Cisterciensis ordinis, filia Clara-Vallis, in villa vel prope villam de Audenarde, inhabitandi gratia confedissent, ibique mansiunculas suas ædificare cœpissent, nos dictum locum diligentius confide-

Y

confide-



considerantes, quod scilicet nec earumdem monialium paci congrueret, nec proposito conueniret, earum collegium in locum alium, religioni monasticę magis aptum, prope villam nostram de *Ath*, de consilio saniori censuimus transferendum.

Et ne aliquid ad ius pertinens, in dicta translatione deesset, ad hoc faciendum consensum obtinuimus venerabilium Patrum Cameracensis & Tornacensis Episcoporum: assensum etiam obtinuimus Abbatis & Capituli de *Lieffies*, ad quorum personatum pertinet præfatus locus prope *Ath*.

Et ita, de beneplacito & voluntate venerabilium patrum Cisterciensis & Clarę-vallis Abbatum, auctoritate nihilominus totius Cisterciensis Capituli generalis, dictas moniales ex loco illo prope Audenardum, vbi manere cęperant, ad alium præfatum locum prope *Ath*, qui nunc Refugium B. Marię dicitur, cum suis omnibus, perpetuę inhabitationis gratia, fecimus transmigrare.

Cum igitur ita sit, præfatas moniales de *Ath* perpetua volumus libertate donari, qua alię domus Cisterciensis ordinis in terra nostra gaudere noscuntur. Insuper quod prædicta domus per curam nostram & diligentiam specialem, in dictum locum nostrę potestatis & translata est & fortius radicata, ipsam cum omnibus, quę ad eam pertinent, studio speciali sub nostra tuitione suscepimus protegendam.

Itaque si quis occasione dictę translationis, vel collocationis, vel alterius cuiuscumque rei, dictas moniales temerę vexare vel molestare præsumperit, nos in eum tamquam in proprium aduersarium nostrum mouebimur, & ad nostrum reputabimus redundare contemptum, quamquam contra eas fuerit indebitę attentatum.

In huius testimonium & munimen præsentem paginam, quam & à nobis in præsentem, & à successoribus nostris perpetuę volumus obseruari, sigilli nostri fecimus munimine roborari.

1234.

Actum anno millesimo ducentesimo tricesimo quarto.

Cum igitur post prædictas litteras *Vidimus*, vitio & suspitione carentes, vt dictum est, charta litterarum ipsarum, per custodiam negligentem, ferę sit destructa, ita quod id modicum teneat ipsa charta, nos in hac præsentem ipsi monasterio prouidere volentes, præfato monasterio eam damus libertatem, quam habent alię domus Cisterciensis ordinis nostrę terrę, & ipsum monasterium cum omnibus, quę



quæ ad ipsum, tempore datæ litterarum præscriptarum, pertinebant, sub nostra tuitione suscipimus protegendum.

Ita quod si quis occasione dictæ translationis, vel collocationis, seu alterius cuiuscumque rei, dictas moniales temerè vexare vel molestare præsumperit, nos in eum tamquam in proprium aduersarium nostrum mouebimur, & ad nostrum reputabimus redundare contemptum, quamquam contra eas indebitè fuerit attentatum. Ad quod etiam obligamus nostros in posterum successores, ea quæ per dictam dominam nostram facta sunt, in hac parte approbantes, & etiam confirmantes.

In cuius rei testimonium & munimen perpetuum dictis monialibus præsentis litteras tradidimus, sigilli nostri appensione munitas.

Datum apud Binchium anno Domini M. CC. LVIII. in Iunio. 1258.

### NOTATIONES.

ATHVM ) Hannoniæ opidum, ludo litterario clarum : cui vicina sunt tria loca, cultu ac miraculis B. Virginis celebria, videlicet Ceruia, *Chieure*, Hannoniæ similiter opidum, *Camberona* monachorum ord. Cistertiensis Abbatia, & *Tungrorum* vicus. Exstat de his locis libellus Colonia editus.

AYDENARDA ) siue Aldenarda, opidum Flandriæ ad Scaldim.

### CAPVT LXXVIII.

*Walterus Episcopus Tornacensis an. 1236. vitæ regulam præscribit fratribus ac sororibus Deo seruientibus in Gandauensi Leprosorum domo.*

**W**ALTERVS Dei gratia Tornacensis Episcopus vniuersis præsentis litteras inspecturis salutem in Domino.

Cùm plurimæ traditiones plurimas faciant transgressiones, nos vni sententiæ S. Iacobi inhærentes, qua dicitur, Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hoc est visitare pupillos & viudas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc



saeculo; summam Religionis consistere arbitramur in fouendo personarum miserabiles, humano auxilio destitutas, maximè quas Dominus probat in camino paupertatis, & in fornace tam contagiosae aegritudinis, ut meritò, propter illam, mandato legis praecipiantur ab aliorum consortio separari.

Sanè cum intelleximus in domo Leprosorum de GANDAVO erga huiusmodi miserabiles personas tam virorum quam mulierum, ibidem Deo & pauperibus Leprosis suis deseruentium, plurimum feruere deuotionem & affectum, eas in nostra protectione suscipientes, nihil eis amplius oneris duximus imponendum; nisi quòd corporalem continentiam, priorum abdicacionem & habitum religiosum, & obedientiam Magistri domus tenentur generaliter obseruare.

Hæc autem quattuor, fratribus & sororibus eiusdem domus, pro regula viuendi, decreuimus obseruanda, Cetera quæ emergunt in excessibus corrigendis reliquimus in discreta dispositione Magistri domus: ita tamen quòd maiores excessus, qui regulares obseruantias contingunt, ad Episcopum referantur.

In huius rei testimonium & firmitatem presentes litteras scribi, & sigilli nostri appensione fecimus communiri; bonas consuetudines prædictæ domus & approbatas præsentium, auctoritate nihilominus confirmantes.

Actum Gandau, anno Domini 1236. feria sexta post festum S. Martini.

#### NOTATIO.

Hospitalariæ virgines dictæ domus Gandensis an. 1626. regulam S. Benedicti sunt amplexæ; duabus monialibus, ad instructionem dandam, vocatis ex Cortenberga, quæ est inter Bruxellam & Louanium sita.

Leprosorum porro domus hospitalariæ olim plurimæ per Belgicam fuerunt; & supersunt hodie Bruxellis, Antuerpiæ, in Banco prope Louanium, & alibi.

CAPVT



## CAPVT LXXIX.

*Henricus II. Lotharingie inferioris & Brabantia Dux, eiusque  
filius primogenitus Henricus, Indensem S. Cornelij  
Abbatiam, Benedictinorum, secundo la-  
pide ab Aquisgrani, dotant  
anno 1247.*

**H**ENRICVS Dei gratia Dux Lotharingæ & Brabantia, & HEN-  
RICVS primogenitus ipsius, omnibus præsentibus litteras inspe-  
cturis, salutem & cognoscere veritatem.

Noueritis, quod nos animarum nostrarum saluti intendentes,  
videntes ecclesiam INDENSEM diuersis debitorum oneribus obliga-  
tam, renuntiauimus & renuntiamus omni iuri, quod nos vel heredes  
nostri habemus ad præsens, vel in posterum habere possemus in  
omni terra, quæ vulgariter Wastina dicitur, in alodijs de Cump-  
theo, de Meunsele, de Herckem & villis attinentibus, quocumque  
modo fuerint sitæ.

Consentientes, ut videlicet venerabilis Abbas monasterij Indensis  
ac eiusdem loci conuentus, quorum noscitur esse proprietas & do-  
minium, de dictis Wastinis possint ordinare, prout eis visum fuerit  
expedire.

Promittimus etiam memoratos Abbatem & conuentum, in dictis  
Wastinis, contra quoslibet iniuriatores, in quantum ius dictauerit,  
tueri & defensare. In cuius rei testimonium & firmitudinem, præ-  
sens scriptum Abbati & conuentui prælibatis tradidimus, sigillorum  
nostrorum munimine roboratum.

Actum & datum apud Furam, mense Augusto, anno Domini 1247,  
millesimo ducentesimo quadragesimo septimo.

## NOTATIONES.

Indensem S. Cornelij Abbatiam, Benedictinorum, secundo lapi-  
de ab Aquisgrani sitam, Ludouicus Pius Imp. fundauit; sic dictam  
ab Inda fluuio præterlabente.

Y 3

CUMPTHEVM



CUMPTHEVM) vicus Brabantiae, *Cumptich*, primo lapide à The-  
nis opido.

## CAPVT LXXX.

*Henricus II. Lotharingia Brabantiaq. Dux à seruitute Manus mor-  
tua, ut vocant, alijsq. oneribus anno 1247. suos  
vasallos liberat.*

**H**ENRICVS Dei gratia Dux Lotharingiae & Brabantiae, atque  
HENRICVS filius eius primogenitus, vniuersis & singulis præ-  
sentes litteras visuris salutem, cum notitia veritatis.

Noueritis, quòd nos habita super hoc prius deliberatione sufficien-  
te cum hominibus & fidelibus nostris, & viris religiosis terræ no-  
stræ, sub sacramento fidei, quam corporaliter præstauimus, ob re-  
medium animarum nostrarum, & prædecessorum nostrorum fide-  
liter promisimus, quòd ad hac die in perpetuum, terram nostram  
quam nunc possidemus, ab illa exactione siue extorsione, quæ vul-  
gariter dicitur *Mortua manus*, absoluius & quitamus.

Promisimus etiam similiter, fide corporaliter præstita, quòd vo-  
lumus & obseruare debemus in perpetuum, vt in bonis illorum, qui  
vulgariter *Hawesoot* spurij dicuntur, si de terra nostra nati fuerint,  
& proximos habeant, succedant in dictis bonis proximiores, secun-  
dum legem terræ & consuetudinem.

Si verò fuerint aduentitij, bona talium, secundum legem terræ  
huc vsque seruata, nostra sint & successorum nostrorum. Saluo  
tamen per omnia tam de alienigenis quam indigenis talibus, quòd  
testamenta, quæ condiderint, robur habere debeant & fortitudi-  
nem.

Promisimus modo prædicto, quòd Balliui nostri terram nostram,  
regere debeant, secundum iudicium & sententiam Scabinorum,  
aut aliorum hominum nostrorum, ad quos pertinet super huiusmo-  
di sententias dare aut iudicare. Nisi forsitan aliquid enorme acci-  
derit, sicut incendium, violentia, vel homicidium, aut aliquid aliud  
simile. In quo casu excessus huiusmodi, de voluntate nostra, & per  
consilium huiusmodi nostrorum, corrigentur.

Et si forsitan contigerit aliquem Balliuorum nostrorum, aliter  
quam præscriptum est & præordinatum, iudicare, volumus & ordi-  
namus



ramus, quòd tam de Balliuis ipsis, quàm de bonis ipsorum, pro voluntate nostra, absolute disponere debeamus.

Promissimus etiam modo prædicto, quòd expensas nostras de consilio hominum nostrorum, ita moderabimus, quòd exactiones faciendas in terra nostra, de consilio bonorum & religiosorum, facere debeamus.

Volumus etiam præterea, quòd annuatim in perpetuum quingentæ libræ Louanienses recipiantur, centum videlicet libræ de redditibus nostris Louanij, centum Bruxellis, centum Thenis, ducentæ de silua nostra Sonia: quæ per manus ipsorum, quos ad hoc ordinabimus, nomine restitutionis & eleemosynæ in perpetuum distribuentur.

Et ut præmissa omnia per nos & successores nostros in perpetuum inuiolabiliter obseruentur, præsentis litteras sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas.

Actum & datum apud Louanium, in die S. Vincentij, anno Domini M. CC. XLVII. 1247.

## NOTATIO.

Henricus II. Dux noster diploma istud edidit paulò ante obitum suam eodem isto anno 1247. decessit.

## CAPVT LXXXI.

*Robertus I. Artesia Comes sacrarum Reliquiarum, à Godefrido Bullonio ex Syria ad Lensensem ecclesiam missarum, capsam, an. 1247. curat aperiendam, coram Legato Apostolico, & Iacobo Episcopo Atrebatensi.*

**R**OBERTVS Comes Atrebatensis omnibus præsentis litteras inspecturis salutem in Domino.

Tenet & recitat modernorum posteritas, cuius memoria ab antiquorum relatu successiuè descendit, qualiter olim Christianissimus Ierosolymorum Rex GODEFRIDVS DE BYLLON, Dux Brabantia, dominus



Dominus de Lens in Artesio, & Comes de Boloña supra mare, suas beatæ Mariæ Lensensis & Boloñensis ecclesias quadam prærogatiua specialis amoris pretiosis ac miraculosis dotauit atque ditauit Reliquijs ( quas per eum acquisitas in partibus transmarinis vtrique ecclesiæ pro medietate dicitur æqualiter diuissse ) reconditis sub terra in quadam capsula simplici illis potissimum Reliquijs, quas tunc in huiusmodi diuisione specialiter Lensensi ecclesiæ deputauit; ibique intra eandem ecclesiam, alijs Reliquijs abundantem, iacuisse creduntur, vsque ad hæc tempora non inspecta.

Quamobrem nobis & nobili vxori nostræ MATHILDI, quorum ipsa Lensensis ecclesia esse dignoscitur, nuper visum est, dignum fore, vt tam sanctæ Reliquiæ amplius non laterent sub modio, sed super candelabrum ponerentur.

Præsentibus itaque reuerendis Patribus, M. Tusculano, Apostolicæ Sedis Legato, & Iacobo Atrebatensis loci diocesano Episcopo, necnon nobilibus viris Henrico Duce Brabantia, Willelmo Comite Flandriæ, eiusque matre & vxore Flandriæ Comitissis, ac alijs multis Baronibus, qui ad preces nostras illuc conuenerant, capsulam ipsam, super maius altare dictæ Lensensis ecclesiæ, fecimus oculata fide, in crastino Octauarum beati Martini hiemalis, in facie omnium, visibiliter aperiri.

Qua aperta, Reliquiarum sanctarum, prout credibilia monstrant indicia, cunctis intuentibus reperta est copia intra eam. Ita quod ipse dominus Legatus, ob reuerentiam Reliquiarum ipsarum, æternum memoriale statuens, huius rei festum solemne, cum Missa de beata Virgine, in eadem ecclesia nostra amodo celebrandum indixit annis singulis die illa; indultis ab ipso nihilominus sexaginta diebus, & à præfato Episcopo Atrebatensi quadraginta, ab eodem Legato auctoritate Apostolica confirmatis, omnibus qui causa deuotionis accesserint ipsa die.

Omnes igitur & singulos, ad quos peruenerit notitia præmissorum, requirimus & rogamus attentè, quatenus ipsam ecclesiam nostram, propter Deum & nos, specialiùs ac deuotiùs solito venerantes, ei largiantur caritatis subsidia largiora, donec eius consummationem videant, & cum auro & argento dictas Reliquias sic aptatas, quòd eas intueri & osculari liberè valeant in aperto.

1247. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, mensè Nouembri.

NOTA.



## NOTATIONES.

ROBERTVS) eo nomine primus Artesiæ Comes, S. Ludouici Galliarum Regis frater, in Terra sancta an. 1249. obiit. Stemmata Principum Belgij, à nobis Bruxellæ an. 1626. edita, cap. 20. vide.

DUX BRABANTIÆ) nuncupatur hic Godefridus Bullonius, iuxta stylum ac loquendi morem illius seculi. Quod nota contra Lotharingos Mosellanos, qui sibi magnum istum Heroem vindicare conantur, sed nullo fundamento. Fuit enim Dux Lotharingiæ nostræ inferioris, non superioris seu Mosellanæ: vt in Stemmatibus paulò antea citatis cap. 13. docui.

## CAPVT LXXXII.

*Innocentius IV. Papa anno 1148. committit Petro Episcopo Catalaunensi, & Abbati S. Sepulcri Cameracensis, vt inquirant, an Ioannes & Balduinus Auennenses, ex Bouchardo subdiacono, & Margarita Constantinopolitana, Flandria Hannoniæq; Comitissa, bona fide iunctis, nati, sint legitimi.*

**I**NNOCENTIUS Episcopus, seruis seruorum Dei, venerabili fratri & Episcopo Catalaunensi, & dilecto filio Abbati S. Sepulcri Cameracensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia nos dilecti filij, nobiles viri, IOANNES de Auennis, & BALDWINVS frater eius, insinuatione monstrauerunt, quod quidam eorum amuli malitiosè, vt processu temporis, à bonis ad eos hereditario iure spectantibus excludi valeant, notam illegitimationis impingunt, id multorum auribus instillando.

Quare nobis supplicarunt humiliter, vt cum eis, aut saltem ipsorum heredibus sit valde periculosum, quod id maneat taliter indiscussum, prouidere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus super causa natalium eorundem nobilium (non obstante  
quod



quòd super hoc inter ipsos ex parte vna, & fratres eorum ex altera, fuit coram nobis aliquamdiu litigatum & processum, cum nihil inde terminatum existerit) inquiratis, sicut magis de plano poteritis, veritatem, & quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuat, questione bonorum principali domino reseruata.

Datum Lugduni V. Idus Decembris, pontificatus nostri anno VI.

*Petri Episcopi Catalaunensis, & Hugonis Abbatis Latiensis sententia, qua declararunt anno 1249. Ioannem & Balduinum Auenenses, ex Bouchardo subdiacono, & Margarita Constantinopolitana, Flandria & Hannonia Comitissa, bona fide iunctis, natos, esse legitimos.*

**P**ETRVS miseratione diuina Catalanensis Episcopus, Iudex à domino Papa delegatus, & HUGO Abbas Lessiensis, Cameracensis diocesis, subdelegatus ab Abbate S. Sepulcri Cameracensis, Iudice à domino Papa delegato, vniuersis praesentibus & futuris salutem in Domino.

Cum nobiles viri, IOANNES DE AVENNIS, & BALDVINVS, frater eius, filij nobilis mulieris Margaretae, Flandriae & Hannoniae Comitissae, causam natalium suorum impetrassent nobis, Episcopo Catalanensi, & viro religioso Abbati S. Sepulcri Cameracensis, à domino Papa delegari; coniuncti procuratores eorundem nobilium in iure proponere curauerunt, quòd olim nobilis vir Bouchardus de Auennis, pater eorum, & nobilis mulier Margareta, Flandriae & Hannoniae Comitissa, mater eorum, matrimonium publicè & solenniter, in facie Ecclesiae, ad inuicem contraxerunt, ex quorum matrimonio ijdem nobiles Ioannes & Balduinus, dum in facie Ecclesiae reputabatur legitimum, fuerunt legitime procreati.

Vnde petebant ijdem procuratores, nomine dictorum nobilium, vt nos auctoritate Apostolica eorundem nobilium natalitia legitima declarantes, ipsos legitime natos, & esse legitimos, pronuntiaemus.

Quia verò nemo apparebat, qui in eodem negotio se nobilibus opponeret antedictis, nos à parte nobilium eorundem iuramenta recepimus, prout exigit ordo iuris. Receptis testibus in eodem negotio productis, iuratis, diligenter examinatis, depositionibus eorundem  
publica-



publicatis, inspectis actis eiusdem negotij vniuersis, ac auditis quæ ex parte dictorum nobilium fuerunt proposita coram nobis, die ad diffiniendum assignata, quia nobis constitit, dictos Ioannem & Balduinum de Auennis intentionem suam sufficienter probauisse, nos, de iurisperitorum consilio, eorundem natalitia legitima declarantes, ipsos legitime natos esse, & legitimos sententialiter diffinimus.

Datum Remis, anno Domini M. CC. XLIX. feria sexta post Octauam S. Martini hiemalis. 1249.

## NOTATIO.

Sententiam istam Innocentius IV. Papa XV. Kalendas Maij, anno pontificatus sui VIII. confirmavit, & per Nicolaum Episcopum Cameracensem executioni mandari (vt practicorum verbis vtat) iussit. Quod hic præstitit litteris publicatis an. 1252. feria 2. post Dominicani, Quasi modo. Hæc & alia eò spectantia fusè narrat Iacobus Guisius tomo 3. Annalium mss. Hannoniæ. Vide & Chronicon nostrum, quod Sigeberto Gemblacensi subiunximus, in gestis anni 1251.

## CAPVT LXXXIII.

*Trudonopolitani cum Henrico III. Loth. Brabantieque Duce,  
Aduocato suo maiore, confæderationis leges statuunt  
anno 1255.*

**V**Niuerfis præsentem paginam inspecturis Scultetus, Scabini, Magistri iurati, totaque Communitas opidi S. Trudonis, salutem & infracriptorum cognoscere veritem.

Cùm propter multa incommoda & tribulationes diuersas, quæ nos & opidum nostrum circumdant & adueniunt, nullis nostris demeritis exigentibus, auxilium & protectionem atque defensionem illustri viro domini HENRICI, Ducis Lotharingiæ & Brabantie, Aduocati nostri maioris, oporteat inuocare, vniuersitati vestræ notum esse cupimus, quòd nos de communi consilio & voluntate opidi nostri prædicti, cum dicto domino Duce, Aduocato nostro ma-



iore, talem compositionem & confederationem statuimus & fecimus.

Quod in eius expeditionem communem, scilicet quæ fit propter defensionem terræ suæ, siue pro iniuria terræ ipsius illata, tanquam alij opidani sui, videlicet *Diestenses & Mechlinienses*, cum armis nostris bellicis & balistis ire debeamus & volumus, sicut & debemus, saluo per omnia iure domini Leodiensis Episcopi, nostri Patris venerabilis.

Hoc etiam addito, quod contra supradictum Patrem nostrum venerabilem Episcopum Leodiensem, & eius dicecesim, ire cum ipso domino Duce præfato non debeamus, licet tota terra Brabantica illuc suam direxerit expeditionem: nisi palam & omnibus notum fuerit, quod ipse Episcopus dominus Leodiensis præfatus iniuriam manifestam eidem domino Duci inferre præsumat & velit.

1255. Ut autem præmissa omnia rata & inconcussa permaneant, præsentem paginam prænominato Aduocato nostro domino Duci, & eius successoribus sigilli nostri munimine contulimus & dedimus roboratam, Datum & actum anno Domini M. CC. LV. mense Maio.

### NOTATIONES.

TRUDONOPOLIS,) opidum ditionis Leodicensis, *S. Tron*, nomen habet à *S. Trudone*, qui illo suo in fundo monasterium ædificauit, & anno 689. ad meliorem vitam transijt. Annales nostros Belgicos in gestis anni eiusdem, & fastos 23. Nou. consule.

DE BALISTIS,) alijsque maiorum nostrorum instrumentis bellicis, vide Lipsium in lib. De machinis Romanorum.

IRE DEBEAMVS.) Hinc datur intelligi, ipsos olim ciues opidorum Brabantia suis Ducibus militasse, & bellicis expeditionibus interfuisse.

CAPVT



## CAPVT LXX XIV.

*Testamentum Henrici III. Brabantie Ducis, anno 1260.  
conditum.*

**H**ENRICVS Dei gratia Dux Lotharingæ & Brabantie vniuersis  
presentes litteras inspecturis salutem.

Cum omni saluatione cupientes animæ nostræ salutem consulere,  
de consilio bonorum & religiosorum virorum, ordinauimus & dis-  
posuimus in hunc modum, quod ex nunc in posterum homines  
terræ Brabanticæ communiter, per iudicium & sententiam tracta-  
buntur, & quod sint sine talia, exactione & precaria: ita quod nihil  
ab eis capiemus, vel capi procurabimus, nisi in expeditionibus cum  
exercitu ad terræ nostræ defensionem, vel iuris nostri conseruatio-  
nem, aut iniuriarum amotionem, vel in seruitium Imperij Romani,  
siue Regum Alemanniæ, siue cum filium aut filiam nuptui trade-  
mus, aut cum filium cingulo cinxerimus militari.

Item ad restituendum iniurias nostras, capientur de nemore So-  
niæ mille libræ annuatim, & de redditibus siue prouentibus terræ  
Brabanticæ tantumdem.

Item per totam terram Brabantie generaliter decimas noualium  
restituimus Ecclesijs & ecclesiasticis personis, ad quas pleno iure  
pertinent.

Item expellantur Iudæi, & Cavvarfinsi de terra Brabantie, & ex-  
tirpentur penitus: ita quod nullus remaneat in eadem, nisi tantum-  
modo, qui vt alij mercatores negotiari voluerint, & esse sine presta-  
tione & vsura.

Item de pecunia, mobilibus & rebus nostris paratioribus vniuersa  
debita nostra persoluantur.

Item si nos signati Cruce transmarina non soluerimus iter nostrum,  
ad satisfaciendum super hoc altissimo, in redemptionem ipsius Cru-  
cis & voti nostri, volumus quod capiantur de promptioribus & pri-  
mis redditibus & prouentibus nostris quattuor millia librarum Lou-  
niensium: cum qua pecunia milites Cruce signati pro nobis ibunt, &  
seruient Deo in partibus transmarinis.



Elegimus etiam & constituimus pro nobis Testamentarios,  
 Fratrem Gerardum Holdenberganum, quondam Priorem  
 Prædicatorum in Louanio,  
 Fratrem Walterum de Treueris, eiusdem ordinis,  
 Fratrem Petrum, Lectorem fratrum Minorum in Bruxella, &  
 dominum Gerardum de Marbaix, pro supradictis duobus  
 millibus librarum Louaniensium, de nostris iniurijs restituendis, &  
 de supradictis quattuor millibus librarum Louaniensium dandis,  
 secundum quod eis magis & melius videbitur expedire, in sub-  
 sidium Terræ sanctæ, vel alibi restituendum.

Rogamus igitur, cum omni diligentia, omnes nobiles & alios ho-  
 mines terræ nostræ, ceterosque consanguineos & amicos nostros,  
 tam personas ecclesiasticas quam mundanas, ut causa Dei & nostri  
 dictos Testamentarios siue Executores testamenti, in dicto testamen-  
 to, quod condidimus, promoueant diligenter, & assistant fideliter,  
 cum indiguerint consilio, auxilio & fauore, ut præmissa omnia in-  
 uiolabiliter obseruentur.

Ceterum quidquid deliquimus in Wariscapijs, Wastinis, siue pas-  
 cuis communibus terræ, nobis usurpando, vel alijs conferendo, vo-  
 lumus quod hoc emendetur & corrigatur, ad salutem animæ nostræ  
 per Testamentarios nostros supradictos, secundum quod eis videbi-  
 tur expedire.

Actum & datum apud Louanium mense Februario, Sabbatho post  
 diem B. Matthiæ Apostoli, cum appensione & confirmatione proprii  
 1260. sigilli nostri, anno Domini M. CC. LX.

## NOTATIONES.

**HENRICVS III.** Dux Brabantia, cognomento Magnanimus, pala-  
 tium suum Louaniense, ad Diliam fl. situm, in monasterium ord.  
 Prædicatorum conuertit; ubi & quiescit cum coniuge sua Aleide,  
 Odonis Burgundiæ Ducis filia.

**SONIA**) filua, inter Bruxellam & Niuigellas sita, complectitur  
 octo millia, duceta viginti septem iugera seu bonaria terræ, ac & tri-  
 ginta sex virgas, ut loquuntur; singulis virgis ad viginti pedes compu-  
 tatis. Fuit autem Sonia, ut arbitror, pars olim siluæ Arduennæ, quam  
 vsque ad Neruios, nunc Hannones, pertigisse, Iul. Cæsar scribit.

I V D A I )



IVDAI) prorsus è Brabantia pulsi sunt, cum an. 1370. sacras Hostias cultris ac pugionibus violassent: ex quibus tres etiamnum summa cum veneratione, in primaria eiusdem vrbs basilica, S. Gudilæ sacra, adseruantur. Fastos nostros Belgicos 15. Iulij consule.  
CAUVVARSINI,) id est, sceneratores seu vsurarij publici.

## CAPVT LXXXV.

*Guido, Flandria & Namurci Comes, Loensi Canoniorum regularium canobio, in diœcesi Iprensi, beneficium confert anno 1269.*

Vniuersis Christi fidelibus, præsentibus pariter ac futuris, Guido Comes Flandriæ, & Marchio Namurcensis, salutem in Domino.

Nouerit vniuersitas vestra, quod cum Præpositus ecclesiæ S. Petri LOENSIS murum circa ambitum sui monasterij ædificare cepisset, extendentem se directè ab Orientali parte chori sui versus Orientem, ultra fossatū villæ Loensis, in terra sua propria, & inde directè versus plagam Septentrionalem, rursusque versus Occidentem vsque ad portam dictæ villæ versus Septentrionem, atque inde directè vsque ad angulum muri sui iuxta atrium de Lo, inter fossatum ibi existens, & viam lapideam, quæ Via publica nuncupatur:

In quibus idem Præpositus nostro præiudicasse dominio dicebatur, pro eo videlicet quod terra illa, quam Præpositus infra terminos memoratos inter fossatum dictæ villæ & ambitum noui muri incluserat, nostræ Furnensis territorij iustitiæ totaliter subiacebat:

Nos cogitantes proinde de supernis, ob delictorum nostrorum remedium, dictam terram sic inclusam, ad nostram iustitiam totaliter pertinentem, concessimus in puram & perpetuam eleemosynam Præposito & Conuentui dicti loci, sub eadem libertate & iustitia tenendam, & pacificè possidendam, quibus mansionem suam & claustrum, intra fossata dictæ villæ Loensis contenta, ex collatione prædecessorum nostrorum Comitum Flandriæ, ac etiam ex consuetudine approbata & hactenus obseruata, tenent & possident, & vsque in præsentem diem tenuerunt & possederunt, alia iustitia in loco illo, sicut in mansione & claustro prædictis, salua nobis permanente.

In



In cuius rei testimonium, & robur perpetuæ firmitatis, presentes litteras eisdem concessimus, sigilli nostri auctoritate munitas.

1269. Actum anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, mense Maio.

### NOTATIONES.

GUIDO ) à Dominico Petri, Comes Flandriæ, an. 1262. vxorem duxit Isabellam, Henrici Blondelli Comitis Luxeburgensis & Marchionis Namurcensis filiam. Quo matrimonio variæ contentiones de Comitatu Namurcensi sunt sopitæ, & Guido creatus est Comes seu Marchio Namurcensis, contentiente Martha Imperatrice Constantinopolitana: vt in Stemmatis Principum Belgij cap. 23. explicui.

Lo) Latine LOA, est municipium Flandriæ in diocesi Iprensi situm, in quo Philippus, Roberti Frisij Flandriæ Comitis filius, anno 1093. monasterium Canonorum regularium fundauit, dans eis Comitatum & Aduocationem, stallum & teloneum, & quidquid secularis iuris habebat: vt in diplomate suo desuper edito loquitur, & Meierus lib. 3. Annalium Flandriæ narrat.

Fundationem istam Ioannes Morinensis Episcopus an. 1100. & 1119. suis litteris firmavit, & dotem monasterij postea auxerunt Theodericus Alfatius, Philippus eius filius, alijque Flandriæ Comites.

Ceterum cœnobium, primo lapide ab Insulis Flandrorum emporio situm, quod similiter Lo vulgus nuncupat, Latine Laus B. Mariæ nuncupatur; estque monachorum ord. Cisterciensis, celebre miraculis ac cultu eiusdem Virginis.

### CAPVT LXXXVI.

*Senatus Populusq; Aquisgranensis Ioannem I. Loth. Brabantieq;  
Ducem agnoscit suum Aduocatum superiorem.*

**V**Niuerfis presentes litteras inspecturis, Iudices, Scabini, Consules ciuium, Magistratus, & ceteri ciues regalis sedis AQUEN-  
SIS, salutem & cognoscere veritatem.

Quoniam



Quoniam fragilis est hominum memoria, & gesta de leui obliuioni traduntur, nisi scripto fuerint stabilita, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quòd nos vnanimiter recognoscimus illustrem Principem dominum IOANNEM, Dei gratia Lotharingiæ & Brabantia Ducem, nostrum esse (quemadmodum sui honorati prædecessores fuerunt) superiorem Aduocatum.

Et nos ipsum & suum, qui in Ducatu legitimè successerit, heredem pro nostro superiore confitemur, & tenemus in perpetuum, Aduocato; & eidem IOANNI Lotharingiæ & Brabantia Duci promittimus bona fide, quòd eidem & heredi suo contra omnes, qui nunc supersunt aut poterunt superesse (excepto serenissimo domino nostro Romanorum Rege ac Imperatore) assistemus fideliter consilio, auxilio & fauore.

Et vt præmissa robur & certitudinem obtineant firmitatis, præsentem litteras eidem & suis heredibus, roboratas nostri sigilli munimine, contulimus, in perpetuum duraturas.

Datum Aquis anno Domini M. CCLXXX. in crastino Resurrectionis Iesu Christi. 1280.

*Ioannes Dux vicissim Aquisgranensibus patrocinium & defensionem promittit, anno 1280.*

**I**OANNES, Dei gratia Dux Lotharingiæ & Brabantia, vniuersis tam præsentibus quàm futuris, præsentem litteras visuris, salutem & cognoscere veritatem.

Ex debito nostri principatus, hos non immeritò promouemus & amplectimur gratia speciali, apud quos dignitatis officio fungimur & honoris.

Itaque nostrorum progenitorum ( qui sedem & ciuitatem regalem Aquisgranensem, & eius ciues, vbi, sicut ipsi fuerunt, nos sumus superior Aduocatus, ab eo tempore, quòd eius non exstet memoria, sedulo promouerunt, & conseruauerunt; & studiosè defensarunt) vestigijs inhaerentes:

Tam ob reuerentiã sacri Romani Imperij, quàm ratione superioris Aduocatiæ, qua post Imperium fungimur apud eos; propter assistentiam nobis pactã, prædictam ciuitatem & sedem regalem, & eius incolas siue ciues conseruare, promouere & omnia eis fructuosa



facere ac impendere promittimus & ueri, & dum requirere duxerint, eis fauorem, consilium & auxilium, & assistentiam impartiri promittimus, & prestare fideliter & benignè.

Atque ad vniuersa & singula ipsis ciuibus Aquensibus bona fide seruanda, nostrum, qui in Ducatu legitimè successerit, heredem obligamus in perpetuum.

Dantes de consilio nostrorum Consiliariorum, pro nobis & predicto herede nostro eisdem ciuibus Aquensibus, qui nunc sunt aut in futurum erunt, presentes in perpetuum duraturas litteras, cum appensione sigilli nostri, ad firmum robur & eternum testimonium, super omnibus & singulis supradictis.

1280.

Datum in *Dalheim*, feria 4. post Pascha, an. Dom. M. CC. LXXX.

## NOTATIONES.

IOANNES I. Brabantia Dux, duas habuit coniuges, nomine Margaritas, priorem Philippi Gallia Regis, alteram Guidonis Flandria Comitis filiam. Perijt Barri an. 1294. in hastiludio: cui tumulum nouum Bruxellis apud Franciscanos Albertus Pius posuit.

DALHEIM) siue Dalem, Latine Dalhemium, opidum est nobis Brabantis Transmosanum, quod Ducatui Limburgensi nunc accensetur, cum Falcoburgo & Roda Ducis.

In territorio Dalhemienfi est VALLIS DEI, Abbatia monachorum ord. Cisterciensis, & cœnobium S. CRUCIS, monachorum ord. S. Sepulcri Ierosolymitani, itemque SINNICHENSE monasterium virginum eiusdem ord. Cisterciensis.

Est ibidem collegium trium Canonicoꝝ ac totidem Capellanorum seu Vicarioꝝ, in municipio, quod Forum S. Martini, S. Martens Voeren nuncupant. Præbendarum pro parte collator est Comes Gronsfeldius.

CAPVT



## CAPVT LXXXVII.

*Gerardus Vvesemalius, dominus opidi Bergizomensis in Brabantia, agnoscit se debere quotannis quattuor marcas, Canonicis Vltraiectensibus S. Martini & S. Saluatoris soluendas ex pacto, pro prædijs in Brabantia sitis.*

**D**ilectis dominis suis, viris venerandis & discretis, Decano & Capitulo ecclesiæ Traiectensis, GERARDVS de Wefemale, miles, dominus de Monte super Zoma, & de Harfele, quidquid potest obsequij & honoris, cum salute.

Vestras rogamus discretiones, quatenus monitorium nobis factum, ad vestram instantiam, defectu cuiusdam solutionis pecuniæ, hac vice reuocare velitis, & eam facere reuocari . . . .

Scientes quòd ad hoc dilectum nostrum Capellanum, latorem præsentium, ad vos transmittimus, & quòd quidquid idem Capellanus de præmissis vobiscum ordinauerit, hoc ratum & firmum obseruabimus, præsentium testimonio litterarum, sigillo nostro sigillatarum.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo, Dominica post S. Matthiæ Apostoli. 1280.

*Aliud eiusdem Gerardi Vvesemalij diploma.*

**V**niuersis præsentibus litteris visuris GERARDVS de Wefemale, miles, dominus de Berge super Zoom, salutem in omnium Salvatore.

Vniuersitati vestræ notum facimus per præsentibus, quòd tenemur soluere bona fide venerandis viris, dominis Decanis & Capitulis S. Martini & S. Saluatoris ecclesiarum Traiectensium, singulis annis, infra Octauas obitus B. Martini, quattuor marcas, sex solidos, & octo denarios Colonensium denariorum legalium:

Et si in solutione dictæ pecuniæ dicto termino defecerimus, omnes expensas, quas ad monendum, pro eisdem denarijs dicti Decani & Capitula fecerint, eis refundemus integraliter, secundum formam & continentiam priorum litterarum nostrarum, quas ipsis



Decanis & Capitulis dedimus, super solutione dictæ pecuniæ de bonis, quæ de ipsis in pacto tenemus, iisdem annis singulis persolvendæ.

In cuius rei testimonium sæpe memoratis dominis Decanis & Capitulis præsentis litteras, sigillo meo, ac sigillis venerabilis viri domini Wilhelmi de Aemstelle, Præpositi ecclesiæ S. Ioannis prædicti loci, & domini Huberti de Euerdingen senioris, militis, contulimus roboratas.

1290. Datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, Sabato ante Dominicam, qua cantatur, *Oculi mei*.

## NOTATIONES.

*Stemma dominorum & Marchionum Bergizomenisum.*

1. GERARDVS Wefemalius, opidi Bergensis ad Scaldim & Zomam in Brabantia conditor, ut Pontus Heuterus in suis Tabulis genealogicis tradit, filios genuit, Arnoldum & Godefridum Merxemi dominum.
2. Arnoldus Bergizomij Dominus ex N. Bautersemia duas reliquit filias, Machtildem, & N. nuptam Richardo Merodio: de quo infra agemus.
3. Machtildis Wefemalia, Alberto Vornæo nupta, peperit Ioannam Vornæam, Bergizomij dominam.
4. Ioanna maritum habuit Ioannem Valckenburgium; & Bergizomense opidum Henrico Bautersenio vendiderunt.
5. Henricus Bergizomij dominus ex Maria Wefemalia sustulit Henricum, Gerardum & Margaritam.
6. Henricus II. Bautersemius duxit Beatricem Polanam: & ex ea nati, Henricus & Oda.
7. Henricus III. ex Bautersemijs, dominus Bergizomenis, coniugem habuit N. Gruthusiam seu Brugensem, quæ ipsi in dotem attulit Baroniam Grimbergensem, peperitque Henricum sine liberis defunctum, & Ioannam.
8. IOANNA Bautersemia, Bergarum ad Zomam, Grimbergæ & Walhemi domina, anno millesimo quadringentesimo decimo octavo nupsit IOANNI DE BRABANTIA, aliàs de GLIMES, qui patrem



trem habuit, Ioannem, Ioannis III. Brabantiae Ducis filium naturalem: vt Dinterus & Heuterus tradunt.

Ioanni de Glimès & Ioannæ Bautofermiae liberi fuerunt, IOANNES cognomento LABEO, Bergizomij dominus, Antonius sine liberis sublatus, & PHILIPPVS Baro Grimbergæ prope Bruxellam: à quo postremo stirpem trahunt Barones Grimbergani, ex quibus GODEFRIDVS BERGIVS, primus Comes Grimberganus an. 1625. à Philippo IV. Rege Catholico est creatus.

IOANNES LABEO ex Margarita San-Simonia genuit inter alios Ioannem, Henricum Episcopum Cameracensem, & Cornelium Seuenbergæ dominum per vxorem, an. 1501. Equitem Velleris aurei creatum.

IOANNES, Labeonis primogenitus, Bergarum & Walhemi dominus, an. 1481. Velleris aurei Eques, duxit Adrianam de Brimeu, Guidonis Comitis Megani filiam. Ex qua inter alios nati, IOANNES, qui ex Anna Burgunda non reliquit prolem, & ANTONIVS, primus Marchio Bergizomensis, Comes Walhemienfis & Eques Velleris aurei, an. 1531. à Carolo V. Imp. creatus.

Idem Antonius insigne templum Bergis ad Zomam ædificauit, & ex Catharina Croya liberos reliquit, IOANNEM Marchionem II. Bergizomensem, an. 1567. in Hispania defunctum, Robertum Leodicensem, Ludouicum Cameracensem, Episcopos, Mariam, Annam & Manciam; qui omnes sine liberis obierunt, excepta Manciam.

Nupsit autem MANCIA, Marchionissa Bergizomensis & Comitissa Walhemienfis an. 1558. IOANNI Baroni de Merode, Comiti de Oelen, domino de Westerlo, Petersem, Gele & Peruvves, peperitque ex eo Margaritam.

MARGARITA MERODIA, Marchionissa Bergizomensis, domina Gelæ & Peruesij, an. 1577. IOANNI DE WITTHEM, domino de Bersele, Bautoferm & Braine, nupta, tres reliquit filias, Mariam Manciam, HERMANNO Comiti Herenbergensi, Margaritam Henrico, Hermanni fratri, & Ernestinam Francisco de Cufance, Burundo, Baroni de Beauuois, iunctas.

MARIA ELISABETH, Hermanni & Mariæ Manciae filia & heres, an. 1625. nupsit ALBERTO, Frederici Comitis Herenbergensis filio



vnico. Fuit autem Fredericus dicti Hermanni Comitis frater.

CAPVT LXXXVIII.

*Adolphus, Montensis ad Rhenum Comes, Ducatum Limburgensem iure sanguinis ad se deuolutum, an. 1282. cedit Ioanni I. Brabantia Duci; & per litteras rogat, ut Rudolphus I. Imp. id ratum habeat.*

**S**erenissimo domino suo RVDOLPHO, Dei gratia Romanorum Re-  
gi semper Augusto, ADOLPHVS Comes de Monte, cum debite  
fidelitatis promptitudine, quidquid potest obsequij, reuerentiæ &  
honoris.

Cum nos Ducatum Limburgensem, cum omnibus bonis, quæ  
felicis recordationis dominus WALRAMVS Dux Limburgensis,  
patruus noster, nec non domina ERMENGARDIS, filia sua, olim  
Comitissa Geldriæ, tenebant, dum viuerent, ad nos, ex morte vtri-  
usque, tamquam ad legitimum heredem, deuolutum, donationis  
titulo, transtulerimus in illustrem Principem dominum IOANNEM,  
Ducem Lotharingiæ & Brabantia, dominum nostrum, simpliciter  
& de plano:

Dominationem patiter & magnificentia vestra Celitudine  
deuotè requirimus, quatenus ipsi domino Duci Ducatum ipsum, &  
bona ad ipsum Ducatum pertinentia, prout à vobis dependent,  
concedere dignemini, cum solemnitatibus ad huiusmodi conce-  
sionem debitis & consuetis.

1282. Datum anno millesimo ducentesimo octogesimo secundo, feria  
quinta post Pentecosten.

NOTATIONES.

*Series Comitum & Ducum Limburgensium.*

**L**imburgensium Comitum & Ducum primorum genealogia hæ-  
ctenus fuit prorsus obscura atque intricata. Nos eam explicare  
conati fuimus in Stemmatibus Principum Belgij c. 16. & supra cap.  
72. sed



71. sed conati tantum. Itaque ut dies diem docet, hæc sunt, quæ ex vetustis diplomatis postea didicimus.

N. Comes Limburgensis (qui à nonnullis vocatur Waleramts, sed sine teste idoneo) ex MIRA, siue, ut Andreas Quercetanus legit, Mira, hoc est, Iudita, Frederici Lotharingiæ inferioris Ducis filia, genuit Henricum.

HENRICVS, God. Bullonio an. 1100. sine liberis defuncto, in Ducatu inferioris Lotharingiæ an. 1101. ab Henrico IV. Imp. est susceptus, eodemque postea an. 1106. priuatus. Vxorem habuit N. filiam Walerami Comitis de Arlon.

WALERAMVS Paganus, Henrici Exducis filius, an. 1126. Ducatum à Lothario Imp. impetrauit: quem Conradus, Lotharij successor, an. 1138. eidem rursus abstulit. Est hic Paganus, qui diplomati Antuerpiensi an. 1119. (sic enim legendum, non 1125.) dato subscripsit, quod to. I. Cod. cap. 8. exstat. Filios reliquit, Henricum Ducem Limburgensem, & Waleramum Comitem de Arlon, sine liberis mortuum.

HENRICVS II. Walerami filius, cum fratre suo Waleramo Comite de Arlon, an. 1146 diplomati Cameracensi subscripsit, quod supra cap. 59. recitauimus. Liberos reliquit, Henricum, & Margaritam, Godefrido III. Brabantia Ducis an. 1155. nuptam: ut ex Austario Affligemiensi constat.

HENRICVS III. quattuor habuit filios, Waleramum, Henricum Comitem de Vassenberg, alij Valkenberg, Gerardum de Hornes, & Simonem an. 1193. Electum Leodicensem, qui Cardinalis Romæ an. 1195. obiit, ibidem in Lateranensi basilica conditus.

WALERAMVS, Henrici III. filius, duas habuit coniuges. Ex priore N. nati sunt, Henricus IV. Dux Limburgensis, & Waleramus.

Ex posteriore coniuge Ermensida, Henrici Comitis Lutzeburgensis filia & herede, natus Henricus II. cognomento BLONDVS, Comes Luxeburgensis, pater Henrici Comitis Luxeburgensis, an. 1288. in prælio Woringano cæsi.

HENRICVS IV. ex N. Montensis in diocesi Coloniensi Comitis filia & herede, sustulit Waleramum, suum in Ducatu Limburgensi successorem, & Adolphum Comitem Montensem, patrem Adolphi: quorum posterior ADOLFVS ius omne suum Limburgense Joanni I. Brabantia Ducis an. 1282. cessit: ut ex eiusdem litteris hoc capite productis constat.

WAL-



8. **WALERAMVS**, Henrici IV. filius, Dux Limburgensis, ex illa stirpe postremus, an. 1282. moriens, filiam reliquit **ERMENGARDEM**, Rainoldo Gelriæ Comiti nuptam, quæ ante patrem obiit. Atque hinc natum est crudele bellum, varijs Principibus Ducatum Limburgensem ad se trahere conantibus: sed prævaluit Brabantus.

*Stemma Comitum & Ducum Montensium, in diœcesi  
Colonensi.*

**G**UILIELMVS, Adolphi iunioris supra memorati filius, Comes Montensis seu Bergensis, ludis hastilibus Inhelhemi an. 1337. interfuit.

1. Gerardus Guilielmi F. reliquit filios **ADOLFVM** primum Ducem Montensem, anno millesimo trecentesimo octogesimo nono, à Wenceslao Imp. creatum, qui sine prole obiit, & Guilielmum.

2. **G**UILIELMVS fratri in Ducatu successit, genuit Adolpum, Rupertum Episcopum Paderbornensem, & Guilielmum Comitem Rauensbergensem.

3. **A**DOLFVS Dux Montensis & postea Iuliacensis, beneficio Sigismundi Cæsaris (qui & Gelriam ipsi attribuit) filium reliquit Rupertum Ducem Iuliacensem, sed qui ante patrem obiit.

4. Adolfo itaque è vivis sublato successit frater **G**UILIELMVS Comes Rauensbergenfis. Is ex Anna Terlëburgica suscipit Gerardum.

5. **G**ERARDVS Dux Iuliacensis & Montensis, Comes Rauensbergenfis, Carolo Audaci, Burg. Brabantiaëque Duci, ius suum ad Gelriæ Ducatum cessit; & ex Sophia Saxonica filium habuit Guilielmum.

6. **G**UILIELMVS ex Sibylla Brandeburgica filiam vnicam **MARIAM**, Ducatum Iuliacensis & Montensis, itemque Comitatus Rauensbergenfis heredem, procreavit: quæ **IOANNI** Duci Cluiz, Comiti Marciano, & domino Rauestenij nupsit.

7. Et sic tres nobilissimi ad Rhenum Ducatus, Cluensis, Iuliacensis & Montensis, itemque duo Comitatus, Marcianus & Rauensbergenfis, cum dominio Rauestenensi, vnum veluti in corpus coaluerunt. De quibus consule, si placet, Stephanum Pighium in Hercule Prodicio; vbi & reliquos istarum prouinciarum Principes reperies.

Ducatus porro Montensis metropolis est **DYSSELDORPIVM**, opidum



dum infra Coloniam Agrippinam Rheno adsitum; in quo Cancellaria seu collegium Senatorum residet, qui Iuliaccensis & Montensis ditionum incolis ius dicunt: ut in opido Cliuensi sedem habet altera Cancellaria, quæ Cliuensibus & Marcanis præst.

## C A P V T L X X X I X.

*Ab Hugone Leodicensi Episcopo varia iura urbis Mechliniensis an. 1300. dantur Ioanni I. Brabantia Duci, usque ad tertium heredem seu generationem, ea lege, ut dicta iura à Ioanne Bertoldo violenter occupata recuperet.*

**V**Niuerfis præsentis litteras inspecturis HUGO, Dei gratia Leodiensis Episcopus, æternam in Domino salutem, cum notitia veritatis. Zelus orthodoxæ fidei in eo probatur præcipuè . . . .

Sanè cum ad nos & antecessores nostros, ecclesiæ Leodiensis Episcopos, qui ipsam ecclesiam rexerunt pro tempore, plurima & diuersa iura ac iurisdictiones in opido Mechliniensi, & in villa de Heiste, & appendicijs earumdem pertinuerint longis temporibus, & adhuc pertinere dignoscantur, quæ usque ad hæc tempora nobilis vir Ioannes Bertout de Mechlinia, & sui progenitores per potentiam suam violenter occuparunt, & adhuc detinent occupata, contra Deum & iustitiam, in dispendium animæ suæ & prædictæ Leodiensis Ecclesiæ non modicam iacturam, consilio freti bonorum & Iurisperitorum, oportuna duximus eatenus nobis brachium inuocare defensionis.

Cum igitur, quia illustris Princeps dominus IOANNES, Dei gratia Dux Lotharingæ, Brabantia & Limburgi, sit fidelis & maior ac potentior inter fideles ecclesiæ nostræ supradictæ, nostrum, imò potius ecclesiæ nostræ gerens negotium, de mandato nostro & requisitione debita, prædicta iura & iurisdictiones diu iniuriosè ac violenter occupata, ut est dictum, ad proprietatem ecclesiæ nostræ supradictæ reducat, & reducere laboret suis sumptibus & expensis, nostræque seu ecclesiæ nostræ prædictæ facultates non sufficiant ad tanta onera supportanda:

B b

Volentes



Volentes suis laboribus & expensis merito respondere, cum nemo teneatur suis stipendijs militare, prædicta iura & iurisdictiones vniuersas & singulas, prout idem Dux reuocauerit, ad ius & proprietatem ecclesiæ nostræ memoratæ, liberè conferimus & donamus, sibi suisque heredibus, vsque ad tertium heredem inclusiue, cum fructibus, prouentibus & aduenticijs quibuscumque:

Promittentes bona fide dicto Duci, quòd quàm citius poterimus, procurabimus cum effectu, super collatione seu donatione prædicta, consensum Capituli dictæ nostræ ecclesiæ, seu confirmationem Apostolicam adhiberi;

Præsertim cum sapediectus Dux bene valeat promereri, pro eo, quædam iura & iurisdictiones, de quibus prouidendum est, quòd ad possessionem prædictæ nostræ ecclesiæ non venerint, quamuis multi antecessores nostri, pro ipsis recuperandis, grauibus insudauerint laboribus & expensis.

1300.

In quorum testimonium & munimen, sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo, Sabbato post festum B. Lucæ Euangelistæ.

## N O T A T I O.

*Stemma Bertautiorum seu Bertoldorum, Mechliniæ & Grimbergæ dominorum.*

**S**temma Bertautiorum hætenus nemo ex fide conscripsit: ego in gratiam nobilissimæ gentis breuiter referam, quæ ex vetulis diplomatibus & fide dignis scriptoribus collegi.

**I.** WALTERVS de Grimberges, anno millesimo nonagesimo sexto, subscripsit diplomati, quo Ida Boloniensis Comitissa, God. Bullo-nij mater, decimas Genapiæ monasterio Affligemiensi dedit: quod to. 1. Cod. don. piarum cap. 68. legitur.

Idem monasterium Grimbergense, ad vsum Canonorum secundum regulam B. Augustini viuentium, fundauit ac dotauit, temporibus Odonis Cameracensis Episcopi; & filios tres habuit, Gerardum, Arnulphum & Aluericum: vt ex diplomate Grimbergen-si, per Lietardum Episcopum Cameracensem an. 1132. dato, constat, quod in cit. to. cap. 88. inuenies.

Post



Post obitum Walteri, anno scilicet 1128. Gerardus & Arnulfus, eius filij & heredes, dictum monasterium Grimbergense S. Norberto, ord. Præmonstratensis conditori, tradiderunt; qui in eo sui ordinis sodales collocavit, dicto Lietardo Episcopo an. 1132. approbante: vt ex citato cap. 88. constat.

Gerardus sine liberis obiit. Arnulfus seu Arnoldus, cognomen-  
to Dracobarbus, in Syria contra Saracenos militavit, & in celebri  
illo prælio contra Brabantos, cum Godefridum III. Ducem suum  
ex arbore in cunis suspenderunt, grauius læsus, haut multò post  
obiit. Cuius hodieque tumulus in Grimbergensi monasterio mon-  
stratur. 2.

Arnulfus autem filios reliquit, Walterum II. in dicto prælio ca-  
ptum, Gerardum Dracobarbum in eodem prælio casum, & Arnol-  
dum, Capellæ & Itræ dominum, obsidem pro fratre seniore Bra-  
bantis datum, atque in illa custodia defunctum.

Walterus II. dimissus ex carcere, S. Bernardo Claræ-Vallis Ab-  
bate apud Brabantos intercedente, in Palæstinam se contulit, & in  
obsidione Damiatæ obiit; vt Guil. Tyrius narrat. Filios reliquit,  
Walterum III. Arnoldum dominum de Rumpst, & Gerardum  
Grimbergæ dominum; à quo postremo Grimbergani gentis Ber-  
tautæ Barones stirpem suam traxerunt. 3.

Walterus III. Bertoldus, Mechliniæ dominus, anno millesimo  
ducentesimo decimo nono viuere desijt, ibidem in primaria S. Ru-  
moldi basilica conditus, in ambitu chori, ex opposito sacelli reli-  
quijs eiusdem martyris clari. Liberos reliquit, Walterum IV. &  
Ægidium Barbatum, dominum de Berlaer. 4.

Walterus IV. Mechliniæ dominus vxorem habuit Margaritam  
Britannam: quorum posteritatem inuenies apud R.V. Christopho-  
rum Butquens in Annalibus genealogicis familiæ Lindanæ, Ant-  
uerpiæ 1626. editis. 5.

Ægidius Barbatum an. 1219. cum vxore sua Terram sanctam visi-  
tauit, & filios reliquit, ÆGIDIUM Bertoldum, dominum de Berlaer  
seu Ballaer, monasterij S. Bernardi ad Scaldim prope Antuerpiam  
fundatorem, & Ludouicum, Diploma foundationis dicti monasterij  
exstat to. 1. Cod. cap. 90.



## CAPVT XC.

*Formula vetus donationis, per traditionem cespitis cum festuca:  
qua formula Theodericus de Anderane, miles, decimas vici  
Betchensis, prope Halenum opidum, ad Iaceam fluvio-  
lum siti, an. 1304. tradidit monasterio virginum  
ord. Cistertiensis, quod Sartum B. Mariæ,  
vulgò Rothem, nuncupatur, olim in Leo-  
dicensi, nunc Mechliniensi diœcesi.*

1304. **I**N nomine Domini, amen Nouerint vniuersi, quòd anno Domi-  
ni 1304. Indictione secunda, mensis Iunij die quinta, in præsen-  
tia discretorum virorum ac mei, vt publici tabellionis, testiumque  
subscriptorum, & ad hoc testificandum vocatorum specialiter &  
rogatorum, ante altare claustriseu monasterij de SARTO B. MARIÆ,  
quod vulgariter *Rothem* dicitur, Leodiensis diœcesis, Cistertiensis  
ordinis:

Dominus THEODERICVS miles, dictus de Anderane, personali-  
ter constitutus, compos mentis & corporis, zelo deuotionis ac pio  
intuitu caritatis inductus, prout hæc omnia facie apparebant prima;

Ipsi monasterio prædicto de Sarto B. Mariæ, nomine & ad opus  
dominæ Abbatissæ & Conuentus eiusdem loci, suam totius bladi de  
*Betche*, & in locis circumiacentibus & vicinis, ac suam ibidem vni-  
uersaliter omnium segetum decimam, purè propter Deum, in elee-  
mosynam, pro animabus parentum suorum, necnon sui ipsius præ-  
dicti militis, habendam in futuro, & iam ex nunc possidendam  
(electa sibi in dicto monasterio ecclesiastica sepultura) donans, de-  
dit pleno donationis inter viuos iure, ex hoc nunc in sæculum te-  
nendam corporali ac quietâ possessione, & habendam à data præ-  
sentis publici instrumenti, iusto legitimæ possessionis titulo, & pa-  
riter proprietatis, in quantum in se fuit & potuit, quoad possessio-  
nem & proprietatem supradictas, adhibitis etiam ex abundantia qui-  
busdam solennitatibus, quæ ad solemnisationem consimilium fieri  
consueuerunt:

Videlicet quòd maior dicti monasterij cereus illuminatus fuit, &  
prædictus



prædictus miles dominus Theodericus, cum viridi cespite, cui viridis ramus infixus existit, arrepta etiam stola, qua frater Ioannes de Valle Dei monachus, & dicti monasterij Confessor, præcinctus fuerat, & subscriptis testibus, ad perhibendum super hoc efficax testimonium cum instantia conuocatis, obtulit scienter ac spontaneè, super altare dicti monasterij, Domino Deo hereditariè decimam prænaratam, sub omni modo & forma prædictis, atque in hoc locauit vel oblationem immolauit.

Acta sunt hæc ante altare prædictum, presentibus ibidem, fra- 1304  
tre Ioanne de Valle Dei, domino Wilhelmo Rectore, & domino Ioanne de Lintere, Capellano ecclesiæ de Cortenake, presbyteris, & pluribus alijs ad prædicta vocatis & rogatis fide dignis testibus, anno, die, mente, vt supra.

## NOTATIO.

Formulam istam veterem donationis, cum diplomate subsequenti, ex archiuo ecclesiæ parochialis S. Pauli Bethasiorum, vulgò *Beets*, prope Halenum, agri Leodicensis opidum, nobis suppeditauit D. Godefridus Wendelinus, illius loci Parochus, vir antiquitatis ecclesiasticæ peritissimus.

*Theodericus & Arnoldus, fratres, Theoderici de Anderane filij atque heredes, medietatem decimæ Betchensis vendunt Abbatissæ monasterij Rothemensis, anno 1318.*

**I**N nomine Domini, amen. Vniuersis præsentis litteras seu præsentis instrumentum inspecturis Decanus & Capitulum S. Dionysij Leodiensis salutem in Domino, cum notitia veritatis.

Nouerint vniuersi & singuli, quòd anno eiusdem Domini millesimo trecentesimo decimo octauo, Indictione secunda, mensis Nouembris die vicesima quinta, hora Missæ, coram nobis in Capitulo dictæ ecclesiæ, ac in præsentia Notarij publici infra scripti, & testium subscriptorum, comparentibus propter hoc personaliter, domina religiosa sorore Catharina, Dei patientia Abbatissa monasterij B. Mariæ de Sarto, quod vulgariter dicitur Rothem, Leodien-



sis diœcesis, Cisterciensis ordinis, pro se & conuentu eiusdem monasterij ex parte vna, & THEODERICO & ARNOLDO fratribus, filijs & heredibus quondam domini Theoderici de Anderane, militis, ex altera;

Dicti liberi recognouerunt expressè coram nobis ac dicto Notario ac testibus infra scriptis, se vendidisse dictis religiosis dominibus medietatem cuiusdam decimæ minutæ, quam præfati liberi in trecensum à nobis tenebant, in villa *de Beche*, quæ etiam medietas coniuncta est alij medietati, quam dictæ Religiosæ comparauerant erga *Henricum*, fratrem prædictorum Theoderici & Arnoldi.

In qua etiam medietate dictis Religiosis adheredationem aliàs fecimus solennem, quam eadem Religiosæ nunc possident in *Beche*. Cuiusmodi contractui à nobis postularunt dictæ partes auctoritatem & consensum impertiri.

Nos autem ius vniscuique fieri volentes, auctoritatem & consensum nostros impertiri sumus, & impertimur in præmissis, receptisque reportatione & verpitione ab ipsis fratribus prædictis, de dicta medietate decimæ minutæ, dictam Abbatissam, ad opus dicti sui cœnobij inuestiuimus, eamque adheredauimus de eadem, obseruatis consuetudinibus in talibus fieri consuetis. Mandantes dictam Religiosam, ad opus cœnobij sui prædicti, in pace & banno in eadem conseruari.

1318.

Acta sunt hæc in Capitulo ecclesiæ prædictæ, anno, Indictione, mense, die & hora, prædictis, presentibus ibidem discretis viris N.N. testibus ad præmissa testificanda vocatis & rogatis.

Et ego Henricus de Vesnake, clericus Leodiensis diœcesis, publicus auctoritate Imperiali Notarius, præmissis omnibus & singulis interfui, vnà cum testibus supradictis, ea vidi & audiui, hoc publicum instrumentum seu litteras præsentis inde manu propria conscripsi.

In quo scribendo annos Domini, vsus sum consuetudine diœcesis Leodiensis, vbi Data mutatur in Vigilia Resurrectionis Domini, post benedictionem Cerei, ipsumque instrumentum præsens, de mandato dictorum Decani & Capituli & Abbatissæ, conscripsi, & meo signo consueto signaui rogatus.

## NOTATIO.

DATA MUTATUR.) Apud Scriptores veteres, & apud nationes varias,



rias, varia olim fuit epocha seu ratio annos incohendi, quam barbarè Datam vocant.

Brabanti, Flandri, Leodicenses, Cameracenses & alij Belgæ, more Ecclesię Gallicanę, annum à Paschate incoharunt, vsque ad an. 1577. quo illa epocha edicto Regio est abrogata, & commodior introducta à Kalendis Ianuarijs. Veneti hodieque à Kalendis Martijs, & Legatus Auenionensis à die 25. Martij annum orditur.

Sigebertus Gemblacensis & Iacobus Meyerus à Paschate, Regno Prumiensis à Christi incarnatione, Lambertus Scafnaurgenfis ab eiusdem natiuitate auspicantur. Prolegomena nostra ad Sigeberti eiusdem Chronicon, si plura voles, consule.

## C A P V T X C I .

*Ioannes XXII. Papa suo diplomate declarat, Beghinas Belgicas esse immunes ac liberas ab erroribus Beghinarum Alemannia, quas*

*Clemens V. Papa paulò antè damnauerat. Idem de Beghinis Antuerpiensibus testatur Petrus Cameracensis Episcopus, an. 1323.*

**V**Niuerfis præsentis litteras inspecturis, Petrus miseratione diuina Cameracensis Episcopus, Commissarius & executor ad infra scripta à Sede Apostolica deputatus, salutem in Domino sempiternam.

Noueritis nos litteras sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Ioannis diuina prouidentia Papæ XXII. vera Bulla plumbea eiusdem domini Papæ, cum filo canapis bullatas, non abolitas, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas recepisse, sub his verbis:

Ioannes, Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Episcopo Cameracensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Cùm de his mulieribus, quæ Beghinæ vulgariter & communiùs nuncupantur, felicis recordationis Clementi Papæ V. prædecessori nostro, præcipuè de Alemannia partibus, multa fuissent insinuata sinistra; præsertim quòd earum aliquæ de summa Trinitate ac diuina essentia disputare, ac etiam prædicare, circa articulos quoque fidei & ecclesiastica Sacramenta, opiniones fidei eidem contrarias introducere,



roducere, multorumque simplicium animos in diuersos super his errores inducere; & alia multa pericula animarum patientia facere, sub fucato sanctitatis velamine, præsumebant:

Ex quibus, necnon & alijs de dictis mulieribus frequenter auditis, habens eas dictus prædecessor non indigna ratione suspectas, statum earum prohibendum duxit perpetuò, & à Dei Ecclesia penitus abolendum; in illas, quæ statum huiusmodi iam assumptum sectarentur ulterius, aut quæ de nouo illum assumerent, excommunicationis sententiam promulgando.

Cùm autem ad Apostolatus nostri auditum relatio fide digna deduxerit, esse plurimas in iuis ciuitate & diocesi huiusmodi mulieres, BEGHINAS simpliciter nuncupatas, quæ per virtutum odora-menta currentes, honestè viuunt, deuotè frequentant ecclesias, Prælati suis reuerenter obediunt, & se in præmissis disputationibus & erroribus non inuoluunt, nec suas, nec aliorum animas, per opiniones erroneas, ab Evangelica veritate degeneres, damnabili præsumptione decipiunt;

Sed in sancta & solida simplicitate viuentes, aliquæ proprias, aliquæ parentum, aliquæ conductas, vel sibi communes & cum honesta familia domos inhabitant; aliquæ verò, rerum cogente defectu, simul in eisdem domibus & diuersis Beghinagijs, ad maiorem castitatis obseruantiam, commorantur.

Et quia hæ sic hætenus vixerunt laudabiliter, atque viuunt, quòd nulla umquam super his fuit vel est suspicio, aut infamia contra ipsas; propterea fuit nobis, pro parte ipsarum, humiliter supplicatum, vt cùm indignum sit innocentes cum nocentibus ad paria iudicari; sintque propterea, occasione huiusmodi, in dictis ciuitate & diocesi, scandala grauia, dissensiones & odia, guerrarumque pericula suscitata; prouidere super his, per Apostolicæ Sedis prouidentiam, dignaremur.

Nos igitur indignum & rationi contrarium reputantes, si probas & reprobas similis censura percelleret; præmissis etiam scandalis, dissensionibus, odijs atque periculis obuiare volentes, Fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apostolica scripta mandamus;

Quatenus per te vel alium, de vita dictarum mulierum laudabiliter viuentium (vt præfertur) diligentius informatus, si repereris  
ita



na esse, non permittas eas, vel ipsarum aliquam, in personis & bonis earundem, occasione prohibitionis & abolitionis huiusmodi (quousque de statu earundem fuerit aliter per Sedem Apostolicam ordinatum) ab aliquibus molestari; molestatores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Non obstante, si eis vel eorum aliquibus, communiter vel diuisim, à Sede prædicta sit indultum, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras dictæ Sedis, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Volumus autem quòd prædictas mulieres attentè & accuratè præmoneas, eisque districtè præcipias, ne de huiusmodi disputationibus, contra huiusmodi prædicti prædecessoris nostri prohibitionis & abolitionis tenorem, se aliquatenus intromittant, sed in sanctis operibus persistentes, & proficientes semper de virtutibus in virtutibus, mereantur retributionis æternæ præmium, quod non incohantibus, sed perseverantibus in consummatione præstatur.

Datum Auenione II. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri an. quinto.

Quarum auctoritate & prætextu litterarum, facta informatione diligenti, de vita & moribus mulierum, quæ Beghinæ vulgariter nuncupantur, & in Beghinagio extra villam Antuerpiensem dictæ nostræ diocesis commorantur, necnon de singulis in dicto Rescripto Apostolico contentis, per dilectum & fidelem Capellanum nostrum, dominum Ioannem de Alosto, Curatum ecclesiæ de Morfelle, prædictæ nostræ diocesis, cui quantum ad hoc, & alia infra scripta, vnà cum discretis viris, dilectis nostris, ecclesiarum S. Gudilæ Bruxellensis & B. Mariæ Antuerpiensis, ac dictorum locorum Christianitatum Decanis, cum illa clausula: Quatenus vos, vel duo aut vnus vestrum &c. commisimus vices nostras.

Et quia per informationem huiusmodi ritè factam inuenit, quòd dictæ mulieres, in prædicto loco commorantes, honestè & laudabiliter vixerunt, atque viuunt, deuotè frequentant ecclesias, Prælati suis reuerenter obediunt, & quòd se disputationibus & prædicationibus de summa Trinitate ac diuina essentia non inuoluunt, nec inuoluerunt, nec etiam opiniones Catholicæ fidei contrarias aliquatenus seminare præsumunt, nec hætenus præsumperunt; quòd nulla vnquam super his fuit, vel est suspicio vel infamia contra ipsas;

C c

Dictus



Dictus Commissarius noster, virtute commissionis prædictæ, voluit & ordinavit, quòd eadem mulieres in statu pacifico & quieto, prout aliàs consueverunt, Domino famulari permittantur, & quòd sub obedientia Magistrarum, per ipsum Commissarium ibidem institutarum, in habitu græco, humili & honesto remaneant, & remanere valeant, absque molestatione aliqua eis, seu alicui earum, occasione prohibitionis & abolitionis prædictarum, ab aliquibus in personis & in bonis inferenda, secundùm dictarum litterarum Apostolicarum continentiam & tenorem.

Nos verò præmissa, per dictum Commissarium nostrum facta, ratificamus, approbamus, & auctoritate, qua in hac parte fungimur, confirmamus, volentes ea firmiter & fideliter observari.

Quare vobis omnibus & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Presbyteris & Capellanis, in nostris civitate & diocesi prædictis constitutis, ad quos præsentis litteræ peruenierint, districtè præcipimus & mandamus, quatenus omnes & singulos molestatores & rebelles, si qui fuerint in præmissis, cuiuscumque status vel conditionis existant, qui dictas mulieres molestauerint, inquietauerint, vel impedierint, moneatis canonicè, vt ab eiusmodi molestatione, inquietatione & impeditiõne cessent penitus & desistant.

Alioquin ipsos, si fuerint presbyteri, suspendatis à diuinis, & si dictam suspensionem per sex dies in se sustinuerint, ipsos excommunicetis. Si verò clerici fuerint siue laici, & dictæ monitioni non paruerint cum effectu, ipsos excommunicetis, & excommunicatos publicè nuntietis, & si quid inde feceritis, nomina monitorum, suspensorum, & excommunicatorum (si qui fuerint) nobis liquidè rescribatis. In his verò exequendis vnus vestrum alium vel alios non expectet.

In cuius rei testimonium præsentis litteras, per nostrum Notarium infra scriptum, fieri fecimus, & sigilli nostri munimine corroborari.

1323.

Actum & datum apud *Castellum* in Cameracesio, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo tertio, Indictione septima, mensis Februarij vigesima tertia die, Pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Ioannis diuina prouidentia Papa XXII, anno octauo:

Præsen-



Præsentibus venerabilibus viris, domino Rogero Melleri, Archidiacono Constantiensi, domino Ioanne de Aloito, Curato ecclesiæ de Morselle, Cameracensis, Leonardo de S. Nicolao, Beluacensis, & Gerardo Pestel, Cameracensis diœcesis clericis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Ægidius Cachelz, de Castello in Cameracesio, Cameracensis diœcesis, Apostolica & Imperiali auctoritate publicus tabellio, præmissis actis, dictis & ordinatis, per præfatum reuerendum dominum Cameracensem Episcopum, vt præfertur, vnâ cum testibus supra scriptis, præsens interfui; præsentibus litteras, de mandato ipsius, per alium scribi feci, hîc me subscripsi, & signum meum, vnâ cum appensione sigilli ipsius reuerendi Patris, rogatus apposui consuetum.

## N O T A T I O .

BEGHINARVM) hoc est, virginum ac viduarum simul in Beghinagijs, absque votis monasticis, piè casteque viuentium, plurimæ in Brabantia, Flandria, diœcesi Leodicensi, ac vicinis ditionibus hodieque sunt congregationes. Alunt autem familiam singulæ, aut viuunt binæ, ternæ, aut plures iisdem in ædibus, cum singulari morum ac puditiç integritate. Vt meritò Castus orbis Germania nostra inferior ab exteris nuncupetur.

Nomen habent Beghinæ à S. BEGGA Abbatissa Andennensi in diœcesi Namurcensi, fundatrice collegij nobilium virginum Canoniarum ibidem; aut à LAMBERTO BEGHIO, pio sacerdote Leodicensi. Quibus de rebus fusiùs egimus in Chronico nostro Cisterciensi, Colonia edito.

## C A P V T X C I I .

*Otho dominus de Cuyck, accepta nummorum summa, Graniam, opidum Mosæ adsitum, Ioanni III. Brabantie Duci tradit, & post  
Otho idem opidum in feudum ab eodem Duce  
accipit, anno 1323.*

**N**OS OTHO, dominus de Cuyck & Heuerlè, notum facimus vniuersis, tam præsentibus quàm futuris,

C c 2

Quòd



Quòd nos de propria nostra & libera voluntate opidum nostrum de GRAVIA, cum omnibus iuribus, feudo, attinentijs & libertatibus, ad dictum opidum spectantibus, seu quocumque modo pertinentibus, quod nostrum verum erat allodium, in manus illustris ac potentis Principis, IOANNIS Dei gratia Lotharingæ, Brabantia & Limburgi Ducis, domini nostri prælibati, portauimus, dedimus, & ad vsum ipsius ac heredum suorum, & omne ius, quod habebamus vel habuimus, ex fusticando renuntiamus in perpetuum; nihil iuris in dictis, opido, fundo, iuribus, attinentijs, ac libertatibus, vel etiam allodio, pro nobis vel nostris successoribus retinendo.

Promittentes eidem domino nostro Duci antedicto pro dictis, opido, fundo, iuribus, attinentijs ac libertatibus, firmam semper præstare guarandiam ratam contra quoscumque. Et ob hoc obligamus nos, heredes nostros, bona nostra & heredum nostrorum singula & vniuersa, vbicumque sint, vel poterunt inueniri.

Et omnibus præmissis sic factis, idem dominus noster Dux dictum opidum, cum omnibus iuribus, fundo, attinentijs, ac libertatibus, tanquam suum verum ac proprium allodium, nobis in rectum feudum, iure Brabantino, ab ipso suisque post ipsum heredibus & successoribus, ac nostris successoribus & heredibus, hereditariè tenendum, habendum atque possidendum concessit, atque sua propria voluntate donauit.

Et nos de dicto opido, fundo, iuribus, attinentijs ac libertatibus ipsi fecimus homagium, & de manibus suis recepimus in feudum, cum nostro iuramento ipsi facto de hoc, debito & consueto.

In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. His verò præmissis interfuerunt,

Florensus Bertout, dominus de Mechlinia,

Ioannes Bertout, dominus de Helmont,

Rogerus de Lefdale, dominus de Oirschot & de Parcke.

Nicolaus de Dorne,

Ioannes de Raidtshouen,

Henricus de Meldert,

Ioannes Meeuvve, dominus de Wauere.

Ioannes de Kesterbeke, milites, necnon

Rodolphus Pipenpoy, Senescallus Brabantia, tanquam fideles domini Ducis, ex parte nostra, ad hoc specialiter vocati. Quibus  
nos



nos supplicamus, vt ipsi sua sigilla, cum sigillo nostro, in signum veritatis & causam cognitionis, presentibus litteris apponant. Et nos

Florentius Bertout, dominus de Mechlinia,  
Ioannes Bertout, dominus de Helmont,  
Rogerus de Lefdale, dominus de Oirschot & de Parcke,  
Nicolaus de Dorne,  
Ioannes de Raidtshouen,  
Henricus de Meldert,  
Ioannes Meeuvve, dominus de Wauere,  
Ioannes de Kesterbeke, &

Rodolphus Pipenpoy, antedicti, ad preces predicti Othonis, domini de Cuyc, quia omnibus & singulis premissis interfuimus, & sic acta fuisse testamur, sigilla nostra, cum sigillo suo, presentibus litteris duximus apponenda.

Datum Bruxellæ in die Natiuitatis Ioannis Baptistæ, anno Domini M. CCCXXIII.

*Item Otho, dominus Cudicensis, fatetur se accepisse, ab Henrico III. Brab. Duce, quinque millia librarum grossorum Turonensium, pro opido Grauiensi, anno 1328.*

**N**OS OTHO de Cuyc & de Heuerlè, notum facimus vniuersis, quòd nos de quinque millibus librarum grossorum nigrorum Turonensium (grosso Turonensi pro sexdecim denarijs computato) in quibus illustris Princeps IOANNES, Dei gratia Lotharingæ, Brabantæ & Limburgi Dux, nobis tenebatur, ea de causa, quòd nos opidum nostrum de GRAVIA (quod nostrum verum erat allodium) ipsi dedimus, & in manus suas portauimus, ipsum dominum nostrum Ducem, & suos heredes atque eorum successores, quitamus, & quitos clamamus per presentes, pro nobis, heredibus & successoribus nostris:

Recognoscentes nobis, ab eodem domino nostro Duce, de pre-nominata pecuniæ summa integraliter esse satisfactum, harum testimonio litterarum, sigillo nostro sigillatarum.

Datum Bruxellæ, die Iouis post octauas Petri & Pauli Apostolorum, anno M. CCC. vigesimo octauo.

Cc 3

NOTA-



## NOTATIONES.

CYCK) vetus Baronia Brabantiae, cum opido Grauiensi & vniuerso agro Cudicensi, hodie possidetur à Principe Arausionensi, ex gente Nafsauia.

HELMONT) Helmonda opidum Brabantiae in dicecesi Siluiducensi. Illius loci dominus Ioannes Bertout, hinc citatus, fuit ex stirpe Berlariensi: de qua vide paulò supra.

IOANNES Meeuvve) dominus de Wauere: à quo nobilis Dongelbergiorum familia apud Bruxellenses.

RODOLPHVS Pipenpoy, Senescallus Brabantiae, & dominus de Blaefvelt, Guilielmi & Catharinae Gasbecanae filius, ex Antonia Brederodia Gifilbertum; Gifilbertus ex Philippina Distensi Petrum Asca dominum; Petrus ex Maria de Heuere Walterum dominum de Oplinter, Philippi Boni Cubicularium; Walterus ex N. Henrici domini Arschotani filia Iacobum; Iacobus ex Elisabetha Henrici Linkenbecani filia Ioannem; Ioannes dominus de Tercaigne & Bossee Antonium; Antonius Eques auratus & Hierosolymitanus Magnum & Antonium, filios reliquerunt.

## CAPVT XCIII.

*Ioannes III. Loth. Brabantiaeque Dux Gerardo domino de Dieft omnia priuilegia confirmat an. 1333.*

**V**Niuerfis praesentes litteras inspecturis, vel auditoris, nos IOANNES, Dei gratia, Lotharingiae, Brabantiae & Limburgi Dux, notum facimus,

Quòd nos nobili viro consanguineo nostro dilecto & fideli, GERARDO, domino de Dieft, & Castellano Antuerpiensi, & suis post ipsum heredibus & successoribus, omnes chartas, cessiones & priuilegia, à nostris progenitoribus siue antecessoribus datas & concessas, sicut expressius in dictis chartis, concessionibus & priuilegijs continetur, laudamus, approbamus, ratificamus, & testimonio praesentium litterarum confirmamus.

Insuper nos attendentes continuum fidele seruitium, quod dictus



Quis Gerardus, dominus de Diest, nobis & nostris antecessoribus impendit huc vsque, & nobis nostrisque successoribus in posterum est impensurus, ac eundem super remunerare volentes, seu gratiam eidem facere specialem, concessimus & concedimus eidem domino Gerardo, domino de Diest prædicto, suisque successoribus, seu heredibus,

Quòd quicumque, cuiuscumque fuerit vel fuerint conditionis, vel progeniti infra libertatem opidi Diestensis, aliquod delictum, vel forefactum perpetraverit, vel fecerit, perpetrarint vel fecerint, quòd sæpè dictus dominus de Diest, vel suus Scultetus, quicumque fuerit pro tẽpore ex parte sua, & sui heredes, post ipsum talem vel tales, delinquentem vel delinquentes corrigere possint, & emendã recipere ab eodem vel ab eisdem, per monitionem factam seu faciendam à domino de Diest vel suo Sculteto, & per sententiam Scabiorum Diestensium super eo pronuntiatam, vel pronuntiandam.

Et vt ista maneat firma & inconuulsa, præsentis litteras, pro se & pro suis successoribus, in memoriam indelebilem, sigilli nostri munimine dedimus roboratas.

Et rogamus fideles nostros dilectos nobiles viros, videlicet dominum Gerardum Comitem Iuliacensem, Arnoldum Comitem Loffensem, Ioannem dominum de Cuyck, Henricum primogenitum domini de Cuyck, Ioannem dictum Bertout de Mechlinia, & dominum Daniele de Bouchout militem, cum prædictis interfuerint, vt in ampliorem euidentiam, præsentem paginam velint suis sigillis roborare. Et nos

Gerardus Comes Iuliacensis,

Arnoldus Comes Loffensis,

Ioannes dominus de Cuyck,

Henricus primogenitus domini de Cuyck,

Ioannes dictus Bertout de Mechlinia,

& dominus Daniel de Bouchout miles, ad petitionem nobilis Principis, domini nostri, Ioannis Dei gratia Ducis Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi, nostra sigilla, vnã cum sigillo Ducis, præsentibus litteris duximus apponenda.

Datum & actum Bruxellæ, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo tertio, in die B. Iacobi Apostoli.

NOTA-



## NOTATIONES.

DIEST) Latine Distemium, Brabantia opidum, hodie ad familiam Nassauiam pertinet, vt & Castellania Antuerpientis. Quæ familia quando ex Germania in Brabantiam nostram transferit, paucis aperire pretium operæ fuerit.

*Principes Arausionenses, & Barones Bredani ac Distenses,  
ex familia Nassauia.*

1. INGELBERTVS Comes Nassauius apud Ioannem IV. Brabantia Ducem, Louaniensis Academia an. 1425. conditorem, gratia valuit. Vxorem duxit Ioannem Polanam, ex Wassenaarijs oriundam, Breda, Distemij & Sichemij dominam; sepultus Breda in collegiata Canoniorum basilica.
2. IOANNES Comes Nassauius, Baro Bredanus & Distensis, Ingelberti & Ioannæ filius, ex Maria Loffensi seu Hensbergia, genuit Ingelbertum & Ioannem.
3. INGELBERTVS II. Comes Nassauius, Ioannis filius, an. 1473. à Carolo Audace Eques Velleris aurei creatus, in prælio Ginegatensi, prope Audomaropolim, contra Francos fortiter rem gessit, Bruxellis palatium Nassauium ædificauit, obiitque an. 1504. magnifico tumulo Breda conditus, non relicta sobole ex Lutgarde Badensi. Heredem scripsit Henricum, Ioannis fratris sui filium.  
Ioannes autem, Ingelberti II. frater, ex Isabella Hassa genuerat Henricum & Guilielmum, Guilielmi Principis Arausionensis, an. 1584. Delfis cæsi, patrem.
4. HENRICVS Comes Nassauius, Ingelberti II. patru sui heres, an. 1505. Eques Velleris aurei à Philippo Pulchro creatus, arcem Bredanam ædificauit, itemque siluulam prope Bredam, ex pinis Noruegia arboribus, & alteram prope Distemium plantauit. Tres habuit coniuges, Franciscam Sabaudam, Claudiam Chaloniam, Philiberti Chalonij Principis Arausionensis sororem & heredem, & Manciam Mendoziam Hispanam.
5. RENATVS Chalonius, Henrici Nassauij & Claudie Chalonie filius, ab auunculo suo Philiberto Chalonio (qui cælebs in obsidione  
urbis



urbis Florentinæ an. 1530. cecidit ) cognomen & Principatum Arauſionenſem accepit. Velleris aurei Eques an. 1531. à Carolo V. Imp. creatus, duxit Annam Lotharingam, Antonij Lotharingæ Ducis filiam, & an. 1544. in obſidione opidi S. Deſiderij tormenti ic̄tu periit, non relictis liberis. Scripſitque heredem Guilielmum Naſſauium, patruelem ſuum.

GVILIELMVS Naſſauius, Princeps Arauſionenſis, Baro Bredanus ac Diſtenſis, Guilielmi Comitis Naſſauij & Iulianæ Stolbergiæ filius, à Balthaſare Gerardo Burgundo Delfis in Hollandia anno 1584. caſus, ibidem conditus iacet. Ex Maria Egmondana Buræ ac Lerdami Comitiffa, Iſelſtenij domina, genuit Philippum-Guilielmum, & Mariam Philippo Comiti de Hohenlo nuptam. 6.

Ex Anna Saxonica, Mauritij Saxonæ Ducis & Electoris filia, fuſtulit Mauritium, Annam, vxorem Guilielmi-Ludouici Comitis Naſſauij, & Æmiliam coniugem Emanuelis Antonij Portugalenſis.

Ex Carolotta Borbonia, Ducis Montpenſerij filia, genuit Ludouicam-Guilielmam Frederico Comiti & Electori Palatino ad Rhenum, Iſabellam Henrico de la Tour Duci Bulloniſi, Catharinam Comiti Hannoniæ, Carolottam Brabantinam domino de la Trimouille, nuptas, Flandrinam & Æmiliam.

Ex Ludouica Colignia Gaſparis Colignij Franciæ Admiralij vidua, genuit Henricum-Fredericum.

PHILIPPVS-GVILIELMVS Comes Naſſauius, Princeps Arauſionenſis, ex Hispania (vbi multis annis in cuſtodia habitus fuerat) cum Alberto Auſtriaco an. 1596. in Belgicam reuerſus, duxit Leonoram Borboniam, Henrici Principis Condæi ſororem. Eques Velleris aurei à Philippo II. 1599. creatus, obiit Bruxellis, non relictis liberis, conditus Diſtemij. 7.

Mauritius Naſſauius Princeps Arauſionenſis, Philippi-Guilielmi frater, Comitatu Meurſenſi à Walburga Comitiffa Meurſenſi donatus, obiit cælebs an. 1625. Hagæ Comitis, conditus Delfis. 8.

Fredericus-Henricus Comes Naſſauius, Philippi & Mauritij frater, Princeps Arauſionenſis, an. 1525. duxit Amelinam Solmenſem, N. Comitis de Solms filiam, & ex ea genuit Guilielmum filium. 9.

Vtitur autem his titulis: Fredericus-Henricus Princeps de Orange, Comes de Naſſau, Meurs, Catzenelleboge, Vianden, Diets, Euren, Lerdam, Marchio de la Vere & Vliffinghe, dominus & Baro



de Breda, Graue, Cuyck, Diest, Grimberge & Herstal, Cranendonc, Warneston, Arlay, Noseroy, S. Vit, Dasburg, Polanen, Willemstadt, Nieuuaert, Iselstein, S. Martensdyck, Gertrudenberge, chasteau Regnard, Zyvalue, & Naeltvvyck, Vicecomes seu Burgravius Antuerpiensis & Vefontionensis, Marefcallus hereditarius Hollandia.

*Comites Loffenses, in diœcesi Leodicensi.*

**D**iploma Othonis domini Cudicensis iam productum, inter alios, signavit & Arnoldus Comes Loffensis, cuius filius Ludouicus fuit ex illa stirpe potremus Comes Loffensis. Horum Comitum quia frequens mentio occurrit, ex vetustis tabulis de eorum stemmate hæc habe.

1. ARNOLDVS seu Arnulfus, Arnoldi filius, Comes Loffensis, Auerbodienfis Abbatia (vt to. 1. Cod. cap. 50. docui) an. 1133. fundator, filium reliquit LYDOVICVM, an. 1175. defunctum, & in Loffensis opidi Beghinagio sepultum.
2. Gerardus, Ludouici F. cœnobium Herkenrodense monialibus Cistertiensibus ædificauit, in Terra sancta militauit, & an. 1191. decessit. Filios habuit, Ludouicum & Arnoldum, ex ordine Comites Loffenses.
3. Ludouicus filiam reliquit Lauretam, N. Duci Lotharingæ Moselanae aut Theobaldo Comiti Barrensi nuptam.
4. Arnoldus, fratri Ludouico in Comitatu Loffensi successus, ex Aleide coniuge Arnoldum procreauit.
5. Arnoldus, Arnoldi & Aleidis F. duxit Ioannam Ludouici Comitiss de Chiney filiam & heredem, & ex ea sustulit Ioannem.
6. IOANNES Comes Loffensis & Chinacensis genuit Arnoldum in dictis Comitibus successorem, & Theodericum Heinsbergæ dominum ex parte vxoris.
7. Arnoldo ( qui diplomati hoc capite producto subscripsit ) liberi fuere, Ludouicus & Maria vxor Godefridi Heinsbergenfis.
8. Ludouicus Loffensis & Chinacensis Comes, sine prole an. 1336. moriens, heredem nominauit Theodericum Heinsbergensem, Mariæ sororis suæ filium.

Ceterum Theodericus, Ioannis Loffensis ac Chinacensis Comitiss



ris frater, ex N. Heinsbergia Godefridum Heinsbergæ dominum, dictæ Mariæ Loffensis maritum, Godefridus autem Theodericum & Ioannem dominum de Dalenbrouc genuit.

THEODERICVS, Godefridi & Mariæ filius, testamento Ludouici auunculi sui constitutus Comes Loffensis & Chinacensis, liberos habuit, Godefridum sine prole defunctum, & Margaritam, Ioanni I. Lotharingæ Mosellanæ Duci nuptam, quæ similiter sine sobole an. 1370. obiit. Itaque Carolus IV. Imp. fratri suo Wenceflao Duci Luxeburgensi Comitatum Chinacensem dono dedit.

Theoderici frater IOANNES, dominus de Dalenbrouc, filium reliquit Ioannem Heinsbergæ dominum, Margaritæ Geneppiæ maritum: de quorum posteritate consuli poterit Christophorus Butquens sub finem lib. 3. de familia Lindana.

Comitatum porrò Loffensem hodie possidet Episcopus Leodicensis; quo autem titulo, Chapeauillius in tomo 3. rerum Leodicensium fusè tractat.

## C A P V T X C I V.

*Carolus IV. Imp. Guilielmo Marchioni Iuliacensi Vesaliense, Durense, Verdense, Bobardiense, & alia opida iam olim oppignorata confirmat an. 1348.*

CAROLVS Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiæ Rex, vniuersis sacri Romani Imperij fidelibus, quibus præsentès litteræ exhibitæ fuerint, gratiã suam & omne bonum.

Quoties fidelium nostrorum iusta petentium desiderijs annuimus, toties lucrum nostrum & bonum Imperij procuramus.

Sanè illustris WILHELMVS, Marchio Iuliacensis, consanguineus & Princeps noster carissimus, nos clariùs informauit, quòd certi Romanorum Reges & Imperatores, prædecessores nostri, suis progenitoribus opidum Durentè, pro quinquaginta millibus florenorum, castrum Werden & telonium ibidem, pro triginta nouem millibus florenorum, opidum Sintzeghe, pro quindecim millibus florenorum, & Sculteriam ciuitatis Aquensis, pro duodecim millibus florenorum, cum omnibus & singulis eorum iuribus, honoribus & pertinentijs, titulo pignoris obligarunt.

D d 2

Alias



Alias etiam ostendit litteras, quibus innotuit plenè nobis, quòd opidum Bobarden & telonium ibidem, ac opidum Wesale, præscripti Marchionis Iuliacensis progenitoribus, pro expensis, quas in ciuitate Coloniensi, ac in ciuitate Aquensi ..... eis donauerunt, & super conquæsiuerunt; & pro seruitijs ipsis & Imperio præstitis, & impensis, remanserunt obligati in septuaginta septem millibus florenorum, & quingentis florenis.

Petens humiliter & deuotè, quatenus sibi de regali nostra clementia, debita prænotata, iuxta continentiam præactarum litterarum, approbare & confirmare, ac pro totali summa debitorum eorundem, quæ se extendit ad ducenta viginti tria millia florenorum, & nongentos florenos, opidum Durense, castrum Werde & telonium ibidem, opidum Sintzeghe, & Sculteriam Aquensem obligari gratiosius dignaremur.

Nos igitur attendentes grata seruitia, quæ præfatus Marchio Iuliacensis nobis & sacro sæpius impendit Imperio, & quæ adhuc gratiora facere poterit in futurum, præscriptas obligationes, prout factæ sunt, & debita prænominata, prout contracta sunt, sibi suisque heredibus, de plenitudine nostræ regalis potestatis, & ex certa scientia, præsentis scripti patrocinio confirmamus hæc pignora supra scripta,

Videlicet opidum Durense, castrum Werde & telonium ibidem, opidum Sintzeghe & Sculteriam Aquensem, cum omnibus & singulis eorum pertinentijs, pro totali summa præscripta, ipsis titulo pignoris obligamus,

Spondentes & firmiter promittentes pro nobis nostrisque in regno & Imperio successoribus, quòd præscripta pignora præfato Marchioni Iuliacensi ac suis heredibus non auferemus, nec ea cuiuscumque alteri personæ obligabimus, vel absoluendum vllatenus commitemus: imò ea nos vel nostri successores, cum poterimus, debemus absoluere, & pro nostra & Imperij propria pecunia liberare.

Iam insuper prænominato Wilhelmo Marchioni Iuliacensi ac suis heredibus gratiam facimus specialem, quòd Præposituras, dignitates, ecclesias parochiales, ac alia quæcumque beneficia supra scriptis opidis, castro, Sculteriarum pertinentia, & specialiter Præposituras ecclesiarum Aquensis, Kerpenensis, & Werdenensis, cum omni-  
bus



bus eorum pertinentijs, quæ præscriptis pertinent opidis, castris vel Sculteriæ, quorum vel quarum collationes vel præsentationes, ad nos nostrosque successores, ratione Imperij, noscuntur pertinere, conferre possint, ac ad ea vel eas personas, quas voluerint, cum vacabunt, vice & nomine nostro, liberaliter præsentare.

Quodque feuda omnia & singula sæpeditis opidis, castro & Sculteriæ spectantia, & specialiter castrum Rode, cum suis attinentijs, quæ à nobis & Imperio originaliter descendere dignoscuntur, conferre possunt, & ad ea inuestire ac infeudare eos, quorum esse noscuntur, & ab eisdem recipere, nostro nostrorumque successorum & Imperij nomine, debitæ fidelitatis ac homagij solitum sacramentum.

Ipsi quoque feudatarij seu vasalli, feuda eadem tenentes & recipientes, omnia seruitia & iura, quæ nobis, nostris successoribus, & Imperio, ratione eorundem feudorum, facturi essent & seruaturi . . . . . sæpe dicta pignora pro notata summa florenorum, boni & puri auri, ac iusti ponderis, vel pro quolibet floreno duodecim grossi Turonenses antiqui, monetæ Regis Franciæ, aut viginti solidi Hallenses antiqui, per nos vel nostros successores, pro nostra & Imperij propria pecunia fuerint, ut præmittitur, absoluta.

In quorum omnium testimonium & roboris firmitatem, præsen-tes conscribi & sigillo nostræ maiestatis iussimus communiri.

Actum & datum in Moguntia anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, Indictione prima, XIV. Kalendas mensis Februarij, regnorum nostrorum anno secundo. 1348.

## NOTATIONES.

DURA ) veteribus Duria, opidum ditionis Iuliacensis, obsidione Caroli V. Imp. clarum.

WERDEN) opidum Rheno adsitum, in quo est collegium Canonicorum, à S. Suitberto fundatum: de quo in Fastis Belgicis egimus.

De Aquensi seu Aquisgranensi Sculteria, hoc est, Prætoris munere, vide Ioannis Becani Historiam Aquisgranensem.

WESALE) Latinè Vesalia, vulgò Wesel, opidum ad Rhenum, mercatu celebre,



KERPEN) arx & municipium diœcesis Colonienſis, ad Regem Catholicum pertinens: in quo vetus Canoniorum collegium reſidet. Præbendarum collator eſt idem Rex Catholicus, Præpoſituræ autem Dux Iuliacenſis.

## CAPVT XC V.

*Venceſlaus, Ioannis Cæci Bohemiæ Regis filius, Ioannæ Brabantinae maritus, à fratre ſuo Carolo IV. Cæſare, ex Comite creatur Dux primus Luxeburgenſis, an. 1354.*

**C**AROLVS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex, illuſtri WENCESLAO Duci Lucemburgenſi, fratri & Principi noſtro cariſſimo, gratiam regiam & omne bonum.

Sceptrigera Cæſaræ dignitatis ſublinitas, ſicut inferioribus poſteſtatibus officij & auctoritatis elatione præfertur, vt commiſſos tibi fideles optatæ gubernet conſolationis præſidio (quod thronus regius tanto ſolidetur feliciùs, & vberiore proſperitate proficiat, quanto indeficientiæ ſuæ virtute, donaria largiore benignitatis munere fundit in ſubiectos) à coruſcantis ſplendore regalis ſolij Nobilitates alit; velut à ſole radij prodeuntes, fidelium ſtatus & conditiones illuſtrant;

Quia primæ lucis integritas detrimenta non patitur, imò amplioris ſcintillantis iubaris expectato decore perfunditur, dum in circuitu Sedis Auguſtæ, illuſtrium Principum numerus, ad Imperij ſacri decorem, ſimiliter augetur.

Sanè attendentes multiplicia merita probitatis & præclaræ deuotionis inſignia, quibus tu & claræ memoriæ progenitores tui, domus Lucemburgenſis, ſacrum Romanum Imperium dignis quidem ſtudiſti honoribus venerari, illum etiam feruidum tuæ mentis amorem, quo ad Imperij procurandos honores inclinariſ attentiuſ, regiæ conſiderationis intuitu limpidiùs intuentes,

Animo deliberato, ſano venerabilium Wilhelmi Colonienſis, Gerlaci Moguntinenſis, Archiepiſcoporum, illuſtris Ruperti Comitum Palatini Rheni, ſacri Romani Imperij Principum Electorum, venerabilium quoque Engelberti Leodiienſis, Ademari Metenſis, Ioannis



Ioannis Olomucensis, ecclesiarum Antistitum, illustrium etiam  
Wilhelmi Marchionis Iuliacensis, Vladislai Ducis Thefflinensis, &  
aliorum quorundam Principum, Baronum & procerum Imperij  
prædicti accedente consilio,

Te, Frater carissime, non carnalitatis affectu, sed originis tuæ no-  
bilitate poscente ( præsertim cum hoc latitudo tui domini, ampla  
subiectæ tibi ditionis spatia, & intemerata fides tuæ vniuersitatis &  
populi, qui à vetusto etiam tempore sacrum honorarunt Imperium,  
non immerito requirebant) hodie in nomine Domini & Saluatoris  
nostri ( à quo omnis principatus & honor prouenire cognoscitur)  
illustrauimus ac illustramus, & in verum Principem ac Ducem Lu-  
cemburgensem sublimauimus, ereximus, sublimamus & erigimus,  
de Romanæ regni plenitudine potestatis,

Decernentes expressè, quòd tu & heredes ac successores tui, Du-  
ces Lucemburgenses perpetuo tempore, dignitate, nobilitate, iure,  
potestate, libertate, honore & consuetudine gaudere debeatis & frui  
continè, quibus alij sacri Imperij Principes, & nominatim Duces  
illustres, freti sunt hætenus, & quotidie potiuntur.

Terras quoque tuas, opida, castra, munitiones, villas, prouincias,  
districtus, montes, colles, valles & plana, cum omnibus siluis, rube-  
tis, pratis, aquis, molendinis aquarumue decursibus, pascuis, pisci-  
nis, piscatorijs, telonijs, Iudæis, monetis, iudicijs, bannis siue inhi-  
bitionibus venationum, quæ vulgariter Teutonice *Wiltpenne* no-  
minantur; & pœnis inde sequentibus, de consuetudine vel de iure  
Baronibus, Baronijs, feudis, feudatarijs, vasallis, vasallagijs, militi-  
bus, clientibus, iudicibus, ciuibus, nobilibus & plebæis, rusticis &  
agricolis, pauperibus & diuitibus, & omnibus eorum pertinentijs,  
sicut prædicta & eorum quodlibet latitudo tui domini comprehendit,  
in verum Principatum & Ducatum Lucemburgensem erexi-  
mus & erigimus, & insignijs, de prædicta regni potestatis plenu-  
dine, decorauimus,

Tibi illustri WENCESLAO Duci Lucemburgensi prædicto Duca-  
rum, siue Principatum huiusmodi, cum omnibus honoribus, nobi-  
litatibus, iuribus, priuilegijs & immunitatibus, quemadmodum Du-  
catus seu Principatus insignes ab illustribus sacrosancti Romani  
Imperij Principibus possidentur, vel teneri seu possideri consueue-  
runt hætenus, & in quantum à sacro Romano Imperio in feudum  
depen-



dependent, de benignitate regia conferentes.

Decernimus etiam, & hac edictali constitutione sancimus, quod tu, heredes & successores tui, perpetuò Duces Lucemburgenſes nominari & appellari debeatis poſthac, & tamquam ceteri ſacri Romani Imperij Duces & Principes teneri & honorari, & ubique ab omnibus reputari, omniſque iure, privilegio, honore, gratia, dignitate & immunitate abſque impedimento perfrui, quibus alij ſacroſancti Imperij Duces & Principes, in dandis ſeu recipiendis iuribus, in conferendis vel ſuſcipiendis feudis, & in omnibus alijs illuſtrem conditionem & ſtatum Ducum ſeu Principum concernentibus, freti ſunt haectenus, ſeu quomodolibet potiuntur.

Et ut Ducatus & Principatus Lucemburgenſis ſolido fundamento firmetur, & tantò ſe Imperio Romano magis obligatum conſpiciat, quantò ampliori fuerit regia liberalitatis munere decoratus, te, heredes & ſucceſſores tuos, Duces Lucemburgenſes, perpetuo inſcripto claro quidem officio gratioſiùs inſigniuimus;

Vt quoties nos aut ſucceſſores noſtros Romanorum Imperatores ſiue Reges, ad reprimendam rebellium noſtrorum ſuperbiam, ſeu Imperij procurandos honores, armatos continget incedere,

Tu, heredes & ſucceſſores tui Duces Lucemburgenſes, qui pro  
*Frenum* tempore fuerint, *Imper.* FRENVM IMPERIALIS ſeu Regalis dextrarij noſtri, à latere dextro, gubernare & proſpicere, debita fidei diligentia, debeatis, & in recubitu menſæ noſtræ, CIBOS REGIOS, qui in ſolemnibus curijs noſtris adminiſtrati fuerint, coram nobis incidere: ut ſic tanquam Principes & fideles Imperij, guerrarum & pacis in tempore, noſtri curam & cuſtodiam habeatis.

Et quia tu Frater cariſſime, tamquam Dux Lucemburgenſis, ſacri Imperij vaſallus & Princeps, dum eundem tuum Principatum ſeu Ducatum Lucemburgenſem à regia Maieſtate in feudum ſuſcipiens, nobis velut Romanorum Regi, ac vero tuo Domino fidelitatis, obedientiæ & ſubiectiõnis debita iuramenta ſolita præſtitisti, quòd in Principatu ſeu Ducatu tuo prædicto, pacem & iuſticiam omnibus & ſingulis, æquè pauperibus ut diuitibus, procurare velis & debeas efficaciter & fideliter, iuxta poſſe,

Decernimus, & hoc edicto Regali duximus ſtatuendum, quòd tu, heredes & ſucceſſores tui, Duces Lucemburgenſes, Ducatum ſiue Principatum Lucemburgenſem prædictum, cum omnibus ſuis pertinentijs



uentijs (sicut exprimitur superius) à nobis, nec non ferenissimis Imperatoribus seu Regibus Romanis, successoribus nostris, & ab ipso Romano Imperio, quoties oportuerit, debitæ solennitatis honore & vexillis, vt moris est, & solita reuerentia suscipere debeat, &

Nobisque ac ipsdem successoribus nostris, in casibus præmissis, velut alij Imperiales Principes & Duces præstare & facere fidelitatis, homagij, obedientiæ & subiectionis debitæ corporalia iuramenta.

Nulli ergò hominum liceat hanc illustrationis, erectionis, insignitionis, decorationis & collationis paginam infringere, seu ei ausu quouis temerario contraire, sub pœna mille marcarum puri auri, quas ab eo, qui contrauenire præsumperit, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem nostræ Regalis curiæ Fisco, residuam verò partem iniuriam passorum vsibus applicari, præsentium, sub nostræ Maiestatis sigillo aureo, testimonio litterarum.

Datum Metis, per manus venerabilis IOANNIS Olomucensis Episcopi, aulæ nostræ regalis Cancellarij, vice Gerlaci Moguntinensis Archiepiscopi, sacri Imperij per Germaniam Archicancellarij, qui (vacante sede Treuerensi, cuius in ciuitate Metensi prædicta interesse videtur opus præsentia) specialiter habuit in commissio, anno Domini M. CCC. LIV. Indictione VII. tertio Idus Martij, regnorum nostrorum anno VIII. 1354.

### NOTATIONES.

Sic Ludouicus IV. Cæsar RAINOLDVM II. cognomento Rufum, alijs Nigrum, ex Comite Gelriæ Ducem creauit; litteris Francofurti an. 1330. aut an. 1339. die 19. Martij datis, & lingua Germanica scriptis, quarum exemplar vidi.

Sub ditione Imperij Germanici, adeoque in Germania tam superiore quàm inferiore, multi quidem Comites, sed pauci olim Duces exstiterunt. Circa annum Christi millesimum, Duces septem in vniuersa Germania fuisse, didici ex illius æui scriptoribus, & ex vetustis Principum diplomatibus, videlicet Duces Sueuię seu Alemanniæ, Bauariæ, Saxonniæ, Franconiæ, Bohemiæ, Carentaniæ ac Lotharingiæ.

His postea accesserunt Ducatus Austriæ, Cluiæ, Iuliaci, ditionis  
E c Monten-



Montensis seu Bergensis ad Rhenum, Gelriæ, Luxeburgi, Wirtenbergæ, & alij varij, beneficio variorum Cæsarum: vt alibi docebitur.

Brabantia & Limburgi Ducatus eo tempore velut enati sunt, quo Godefridus Barbatus Comes Louanienfis & Henricus Comes Limburgensis ab Henrico IV. Imp. ad Ducatum Lotharingia sunt euecti: vt in Stematibus Belg. cap. 15. & 16. explicui.

In Italia vicinisque prouincijs celebres olim fuerunt Duces Sabaudia, Calabria, Tuscia, Spoleti, Beneuenti & Fori Iulij: quibus postea accesserunt Duces Florentia, Mantua, Ferrariæ, Urbini, Parma, Montiferrati, & alij à Romanis Pontificibus aut Cæsaribus creati.

Marculphus in Formulis suis recitat formulam veterem, qua olim Duces creari solent.

*Primi Comites Luxeburgenses.*

**D**E origine familia Luxeburgensis (quæ Cæsares quattuor, Henricum VII. Carolum IV. Wenceslaum & Sigismundum orbi Christiano dedit, quæque regna Hungaria, Polonia, ac Bohemia olim possedit) multi multa fabulantur. Quid de ea ex vetustis diplomatibus didicerim, mi Lector, breuiter hic habe.

1. Primorum Comitum Luxeburgensium stemma petendum est à SIGIFRIDO Comite, qui castellum Luziliburgum in pago Arduenna situm à Wikero Abbate S. Maximini Treuerensis, anno nongentesimo sexagesimo tertio, permutationis titulo acquisiuit: vt constat ex tabulis publicis supra cap. 19. productis.

2. Idem, nisi fallor, Sigifridus, cum coniuge sua Hadevvicha, S. Maximini monachis, anno nongentesimo nonagesimo tertio, varias possessiones donauit, diplomate desuper edito, in quo fit mentio HENRICI Comitis, filij eiusdem Sigifridi; exstatque supra cap. 25.

3. Ceterum cuius filius fuerit hic Sigifridus primus Comes Luxeburgensis, & quinam in dicto Comitatu, vsque ad Conradum illo nomine primum, ipsi successerint, nondum certo constat.

4. Anno millesimo octogesimo tertio floruit CONRADVS Comes Luxeburgensis, qui Munsteriensem Benedictinorum Abbatiam, prope Luxeburgum opidum condidit, & in itinere Hierosolymitano an. 1086. obiit.



Vxor ipsi fuit Clementia: ex qua nati Adelbero, Guilielmus, Henricus, Conradus, & Rodolphus, Ioanni Bertelio Folmarus, Abbas I. Munsteriensis.

Adelbero Archidiaconus Metensis, cum Godefrido Bullonio ad bellum sacrum profectus, in obsidione Antiochię an. 1099. perijt: vt Albertus Aquensis lib. 3. cap. 46. commemorat.

Henricus de Luceleburg nominatur in diplomate S. Agerici Vir-  
dunenſis an. 1089. dato, quod ſuprà cap. 41. legitur.

Conrado defuncto GVILIELMVS filius, qui Mechtildem Frederici Suevię Ducis filiam duxit, & Guilielmo patri Conradus II. in Comitatu Luxeburgensi ſucceſſit; vterque in Munsterienſi cœnobio conditus.

CONRADVS II. ex Elifabetha Godefridi Comitis Namurcenſis filia, liberos reliquiſſe dicitur, Henricum Leodicenſem Episcopum, & Gertrudem Conradi Comitis Vadimontani coniugem.

Conrado è viuus ſublato, in Comitatu Luxeburgensi ſucceſſus eſt HENRICVS cognomento Cæcus, Comes Namurcenſis, Godefridi Comitis Namurcenſis & Ermensindę Luxeburgicę filius; qui ex Agnete coniuge vnicam filiam Ermensindam reliquit. Obijtq; admodum ſenex poſt annum Chriſti 1188. Floreſſiã, in agro Namurcenſi cum vxore ſepultus, quorum tumulus ibi etiamnum viſitur. Exiſtat ſuprà cap. 60. diploma monaſterio S. Gerardi Bronienſis an. 1154. conceſſum, in quo Henricus iſte Comes Namuci & de Luzeleburg nominatur.

ERMENSINDA, Henrici Cæci & Agnetis filia & heres, Comitatu Namurcenſi à Balduino Magnanimo Hannoniã Comite ſpoliata, Luxeburgenſem Comitatum ſibi ac poſteris retinuit, primùm Theobaldo Barri Comiti (qui in Terra ſancta occubuit) poſt Waleram Limburgenſi Duci an. 1214. nupta.

*Stemma Comitum & Ducum Luxeburgenſium, à Valeramo Duce Limburgenſi oriundorum.*

WALERAMVS in Syria an. 1195. militauit, & an. 1198. Aquas-Grani defendit, pro Philippo in ſchiſmate electo contra Othonem IV. Caſarem: vt in Auctario Aquicinctino poſt Sigeberti Chronicon legitur. ANNO 1214. ERMENSINDAM, Comitatus Luxeburgenſis heredem,



redem, duxit vxorem: vt constat ex Contractu nuptiali, supra cap. 72.

In diplomatibus, quæ vidi, vsus est his titulis; Waleramus Dux de Lemburg, Comes de Lucemburg & de Rupe, Marchio Arlunensis. Eius epitaphium, tumulo marmoreo inscriptum, hodieque legitur in Claustro-Rodensi Abbatia Canonorum regularium. secundo lapide ab Aquis-Grani.

Ex priore coniuge N. Montensis ad Rhenum Comitis filia & herede, Waleramus filios sustulit, Henricum & Waleramum, quorum ipse meminit in citato Contractu nuptiali.

Ex altera coniuge Ermensinda nati sunt ipsi liberi quinque; Henricus cognomento Blondus successor in Comitatu Luxeburgensi & Rupensi, itemque Marchionatu Arlunensi; Gerardus dominus de Durbuy, Villance & Marche in Famenna, Margarita Theobaldi II. Barri Comitis vxor, Catharina Matthæo II. Lotharingæ Mosellanæ Duci nupta, & Maria Walerami Comitis Falcburgensis coniux.

2. HENRICVS BLONDVS, Walerami & Ermensindæ filius, an. 1240. vxorem duxit Margaritam Theobaldi, (Haræo, Henrici) Comitis Barrensis filiam, quæ ipsi in dotem attulit ditionem de Ligney seu Liney: vt liquet ex diplomate an. 1240. à Philippa Margaritæ matre dato, quod Florentius vander Haer lib. 2. de Castellans Insulensibus cap. 4. recitat.

Sustulit ex ea filios quattuor, Henricū in Com. Luxeburgensi successorem, WALBRAMVM stirpis Linacensis seu San-Paulinæ conditorem ac propagatorem, Balduinum & Ioannem, ac filias totidem, Felicitatem, Isabellam, Margaritam & Philippam. Obijtque sexagenarius, conditus cum coniuge in Claro-Fonte, monialium cœnobio, ord. Cisterciensis, prope Orolaunum, vulgò *Arlan*, Ducatus Luxeburgensis opidum.

3. HENRICVS Comes Luxeburgensis, in prælio Woringano, prope Coloniam Agrippinam, contra Ioannem I. Brabantia Ducem, infeliciter an. 1288. pugnans cecidit, cum tribus fratribus suis, Waleramo, Balduino & Ioanne. Vxorem duxerat Beatricem, Balduini Auennensis filiam: ex qua nati, HENRICVS IVSTVS in Comitatu successor, ac demum Romanorum Rex, Balduinus A. Treuerensis, & alij liberi, qui lib. 2. cit. de Castell. Inf. cap. 4. enumerantur.

IOAN



IOANNES CÆCVS, Henrici Iusti & Margaritæ Brabantinæ filius, Elisabetham, Wenceslai Bohemiæ Regis filiam natu maximam sibi iunxit, Rex Bohemiæ, post soceri obitum, renuntiatus: ex qua sustulit Carolus IV. Cæsarem, Ioannem Moraniæ Marchionem, & Bonam Ioanni Gallia Regi nuptam.

5.

Ex altera coniuge, Beatrice Borbonia, vnicum reliquit filium Wenceslaum, suum immediatum in Comitatu Luxeburgensi successorem.

WENCESLAUS an. 1354. à fratre suo Carolo IV. Imp. ex Comite Dux primus Luxeburgensis creatus, Comitatu Chinacensi (de quo supra cap. 94.) ab eodem donatus, ac demum Brabantia & Limburgi Dux, ex parte vxoris Ioannæ renuntiatus, an. 1383. decessit, non relictis liberis.

6.

Wenceslao patruo suo in Ducatu Luxeburgensi WENCESLAUS II. Rom. & Bohemiæ Rex, huic Sigismundus III. Cæsar, Sigismundo filia sua vnica ELISABETHA, Alberti Austriaci Rom. Regis vxor, successit. Hac ius omne suum PHILIPPO BONO, Burg. Brabantiaque Duci, an. 1451. cessit, defuncta Anna filia, quam vnicam ex Alberto pepererat.

7.

8.

9.

Hactenus de stirpe Imperiali Luxeburgica egimus. De altera, videlicet Linacensi seu San-Paulina (cuius conditorem fuisse Waleramum, Henrici Blondi filium, paulò ante diximus) qui volet, Florentium vander Haer lib. cit. consulat. Durauit ea vsque ad an. 1616. quo obiit in Francia HENRICVS Dux de Piney, Princeps de Tingry, Comes de Brienne, Liney, Rouffy & Rosnay, ex familia Luxeburgica postremus; relictis duabus filiabus, Margarita-Carolotta Leoni de Albert, domino de Brantes, & Lieffa Henrico de Leuis Duci de Ventadour, nuptis.

Ceterum, quod notatu dignum, stirps ista Linacensis Leonem Limburgicum pro insigni gentilitio semper gessit; cum stirps altera, videlicet Imperialis, Leonem Luxeburgicum, cum illius provincie dominatu, sibi sumpsisset. Vide supra cap. 88.

E 3

CARVI



## CAPVT XCVI.

*Rodolphus Dux Saxonia, & Wenceslaus Brabantia ac Luxemburgi  
Dux, inter se contendunt de munere Ensisferi Imperialis.  
Carolus IV. Imp. controuersiam terminat & com-  
ponit anno 1357.*

**C**AROLVS IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium vniuersis,

Quòd cùm in solemni curia nostra Imperiali, quam in ciuitate *Metensi*, sacratissimo die Natiuitatis dominicę, cum vniuersis Principibus, Electoribus ecclesiasticis & secularibus, præsentibus etiã alijs Principibus, proceribus & nobilibus, in multitudine numerosissima celebrauimus, inter illustres *RODVLPHVM* Ducẽ Saxonię, sacri Imperij Archimareschallum, auunculũ nostrum, ex vna, & *WENCESLAVM* Lucemburgi, Lotharingiã, Brabantia, & Limburgi Ducem, sacrique Imperij Marchionem, fratrem nostrum, ex altera parte, suborta fuisset materia quæstionis,

Vter videlicet eorum, *ENSEM* nostrum *IMPERIALEM*, in prædicta & alijs solemnibus curijs Imperialibus, ante faciem Maiestatis Cæsareę præcedendo gestare, seu Imperatore vel Rege Romano in mensa, vel pro tribunali sedenti, coram eo tenere deberet, viroque ipforum hoc sibi competere contendente:

Nos volentes contentionem huiusmodi sopire, & scandalis, quæ exinde nasci possent, aditum præcludere per semitam æquitatis, habito cum Electoribus & alijs Principibus antedictis super hoc maturo consilio,

Considerantes, quòd prædictus frater noster Ducatum Brabantia & Marchionatum prædictos (quorum virtute *ENSEM* ipsum ad gestandum, vt præmittitur, & tenendum sibi dari petebat) à nostra Celsitudine nondum suscepit in feudum, nec de feudis Ducatus & Marchionatus eorundem per nos adhuc existit inuestitus,

Declarauimus, & tenore præsentium, auctoritate Imperiali, declaramus expressè, eidem fratri, Lucemburgi, Lotharingiã, Brabantia & Limburgi Duci, & Marchioni Imperij, in iuribus, priuilegijs,



legijs, sibi & dictis Ducatui & Marchionatui, præsertim circa portationem & tentionem Ensis Imperialis competentibus, nullum per hoc præiudicium generari, vel in posterum illud sibi posse vel debere quouis modo nocere, quod præfatus Dux Saxoniz, in hac curia nostra, Ensem ipsum ante faciem nostram gestavit, & etiam circa mensam nostram Imperialem tenuit coram nobis; præsentium, sub Imperialis Maiestatis nostræ sigillo, testimonio litterarum.

Datum Metis anno Domini M. CCC. LVII. Indictione X. Nonis 1357.  
Ianuarij, stilo Gallico, regnorum nostrum anno XI. Imperij verò secundo.

Signum Boëmundi Archiepiscopi Treuerensis.  
S. Gerlaci Archiepiscopi Moguntinensis.  
S. Wilhelmi Archiepiscopi Coloniensis.  
S. Roberti Comitis Palatini Rheni.  
S. Ludouici Marchionis Brandenburgensis.

## N O T A T I O.

QVORVM virtute.) Notet Lector, Wenceflaum non vt Luxeburgi, sed vt Brabantiz Ducem, & S. R. Imperij Marchionem, præten-  
diffe munus Ensisferi Imperialis.

## C A P V T X C V I I.

*Oelen, VVesterlo, & alia prædia pagi Riensis, apud Herentaliam  
Brabantia opidum sita, qua Barones VVesemalij antea posse-  
derant, ab Ultraieclinis Canonorum collegijs, S.  
Martini & S. Saluatoris, dantur in emphi-  
teusim Richardo domino de Merode  
& Frenz. Id liquet ex diplo-  
mate dato an. 1429.*

**V**Niuerfis & singulis Christi fidelibus præsentia visuris se auditu-  
ris, nos Decani & Capitula maioris, & S. Saluatoris Traiecten-  
sis, ecclesiarum, in opido Arnhemensi, Traiectensis diœcesis, re-  
sidentes; translatione Capitulorum nostrorum & aliarum ecclesia-  
rum



rum Traiectensium ad dictum opidum, propter obedientiam S. Sedi Apostolicæ debitam, facta, & confirmatione Apostolica desuper canonicè obtenta & subsecuta, cupimus fore notum;

Quòd licet pridem, transactis nonnullis annis, postquam bona nostra & ecclesiarum nostrarum supradictarum de Oelne, Westerlo, Quakenbeke, Harffel & Berchem, cum suis pertinentijs, per mortem spectabilis Baronis quondam domini IOANNIS, domini de Wefemale & de Phalais, ad nos & dictas nostras ecclesias fuerunt legitime deuoluta, dicta nostra bona strenuo & nobili viro domino RICHARDO, domino de Merode & de Vrentzen, vocatis vocandis, vnanimiter in perpetuam concesserimus emphiteosim, traditis sibi desuper litteris oportunis;

Ipseque noster emphiteota nobis singulis annis, iuxta exigentiam contractus desuper habiti & celebrati, realiter satisfecerit de eisdem;

Nihilominus tamen, pro vt fama volante didicimus, quidam Iohannes, asserens se de Wefemale & Phalais dominum (propter diffidationem & diffidorum nostrorum receptationem, ordinariumque fauorem, ac rapinas, violentias & impedimenta, contra nos & dictas nostras ecclesias per ipsum attentata, deducta & probata, seruatis ea in parte seruandis, auctoritate Apostolica, per Conseruatorem nostrum, & bonorum & iurium ecclesiarum nostrarum, excommunicatus, aggravatus & interdictus, inuocato etiam contra eundem auxilio brachij secularis)

A nonnullis olim nostris Concanonicis & confratribus, in ciuitate Traiectensi, ecclesiastico interdicto supposita, continuè profanantibus, & contra mandata Apostolica, & reuerendum dominum nostrum Episcopum Traiectensem rebellantibus, & iam dudum ob hoc excommunicatis, interdictis, & suis beneficijs auctoritate Apostolica priuatis, quasdam præsentas concessiones, & litteras nescio quales, de iure nullas & inualidas fertur obtinuisse;

Quarum prætextu, contra nos & dictum nostrum emphiteotam, se defendere & iuuare iactauit & comminatus est, iactat & comminatur.

Nos igitur serie præsentium testificamur, dicimus, & singulis Christi fidelibus notificamus, præfatum dominum RICHARDUM, dominum de Merode & de Vrentzen, nostrum verum fore & esse dictorum nostrorum, & ecclesiarum nostrarum prædictarum, bonorum



notum de Oelue, Westerlo, Quakebeke, Hersel, & Berchem, cum suis pertinentijs, emphiteotam:

Concessionefque & litteras, si quas dictus Ioannes, asserens se de Wefemale & Phalais dominum, excommunicatus, aggrauatus & interdictus, à prædictis olim nostris Concanonicis & confratribus, profanantibus, excommunicatis & interdictis, ac suis beneficijs similiter priuatis, vt præmittitur, obtinuerit, fore friuolas & inanes, & contra nostram voluntatem concessas.

Requirentes, admonentes & exhortantes quoscumque Christi fideles, quatenus præfatum dominum Richardum, emphiteotam nostrum, nosque & dictas nostras ecclesias, in præmissis omnibus & singulis, tueri & defendere, nec non præfatum Ioannem, asserentem se de Wefemale & Phalais dominum, vt præfertur, excommunicatum, aggrauatum & interdictum, refutare & vitare, concessionefque & litteras prætenfas, si quas modo prædicto receperit & obtinuerit, tamquam friuolas & inanes tenere velint, nullam eisdem fidem quouis modo adhibendo.

In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præfentes nostras litteras sigillorum ecclesiarum nostrarum prædictarum fecimus appensione communiri.

Datum in opido de Arnhem, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo nono, mensis Iulij die vicesima. 1429.

## NOTATIONES.

MAIORS.) Maior ecclesia hîc dicitur ecclesia cathedralis Vltraiectina, S. Martino sacra. De qua, itemque de ecclesia Canonico-ram S. Saluatoris, in eadem vrbe Vltraiectina, vide to. 1. Cod.

OELVE) nunc *Oelen*, vicus Campaniæ Brabantinæ, haut procul ab Herentalia opido, gaudet titulo Comitatus: spectatque ad gentem Merodiam, vt & WESTERLO, arx & vicus in eadem Campania, quem titulo Marchionatus an. 1626. Philippus IV. Rex Catholicus decorauit.

WESEMALE) vetus Baronia Brabantia: de qua supra cap. 87. egimus.

PHALAIS) seu Falais, arx & vicus diocesis Namurcensis, haut procul ab Huio opido, Comitatus dignitate ab Alberto Pio Belgarum



rum Principe nobilitatus, olim Burgundicæ, nunc gentis Noyellæ.

MERODE) arx, vicus & Baronia in Ducatu Iuliacensi, à qua cognomen induit illustris familia Merodiorum.

VRENTZEN,) hodie Frents, Baronia in eodem Ducatu Iuliacensi, possidetur à Middelburgensi in Flandria Comite, ex eadem gente Merodia.

*Stemma Merodiorum.*

1. **R**ICHARDVS dominus de Merode & Frents, Oelen, Westerlo, & alia prædia pagi Riensis, ab Ansfrido, Bratuspantium & Hoiensium Comite, Ultraiectinæ ecclesiæ (vt to. 1. Cod. cap. 43. docui) donata, in emphiteusim ab eadem accepit, exclusis Wesemalijs: vt ex tabulis hoc capite productis constat.

Vxorem duxit Beatricem, dominam de Petersem prope Traiectum Mosæ, de Lefdale in diœcesi Antuerpiensi, de Oirschot & Hiluerenbeke in diœcesi Siluiducensi. Ex ea filios sustulit, Ioannem Petersemij, Richardum Frentzij dominum, & Guilielmum.

A Richardo originem trahunt Marchiones de Treslon, Barones de Frents, Comites Middelburgenses: vt infra commonstrabo.

A Guilielmo (cui vxor fuit Ioanna vander Aa, domina de Veulen) stemmata sua deducunt Barones de Duffel, domini de Waroux, de Ichay, vulgò Iey, de S. Peeters-Houck, de Rummen, & alij.

2. **I**OANNES de Merode, Westerloæ, Petersemij & Lefdalæ dominus, ex Aleide, filia & herede Ioannis de Hornes, domini de Duffel, Peruvves & Gele, genuit Richardum.

3. **R**ICHARDUS Merodius, Westerloæ, Petersemij, Lefdalæ, Duffelæ, Perueti & Gelæ dominus, ex Margarita de Hornes reliquit Henricum.

4. **H**ENRICUS Comes de Oelen, dominus de Merode, Petersem, Westerlo, Lefdale, Duffel, Peruvves, & Gele ex Francisca Brederodia procreauit Ioannem Walrauum dominum de Lefdale, Ioannam Baroni de Hers, & alteram filiam domino de Milendonc nuptam.

5. **I**OANNES Merodius, Comes de Oelen, Baro de Merode, Petersem, Peruvves, Lefdale, dominus de Gele, Westerlo & Iselmonde, duas habuit coniuges, Manciam de Berges Marchionissam Bergizomensem



menssem an. 1558. & Margaritam de Pallant, filiam Edmundi Baronis de Pallant & Culenburg.

Ex Mancía nata est filia vnica MARGARITA MERODIA, Marchionissa Bergizomenis, Gelæ & Peruesij domina, nupta Ioanni de Wuthem, Baroni de Bersele: vt supra cap. 87. docui.

Ex Margarita Pallantia natus est PHILIPPVS, & filia quinque, Odilia, Helena, Mancía, Francisca, & Iuliana vxor Amoraldi de Hornes Vicecomitis Furnensis.

PHILIPPVS Merodius Comes de Oelen, dominus de Westerlo, Petersem, &c. pompæ funebri Alberti Auftriaci Belgarum Principis Bruxellæ interfuit, & an. 1627. viuere desijt.

Ex Helena Merodia, Ioannis Houfalise domini filia, domina de Montfort & Han-sur-Euse, reliquit Ioannem, qui in prælio Pragensi fortissimè pro Ferdinando Cæsare pugnans cecidit, & PHILIPPVM, qui à Philippo IV. Rege nostro primus Westerloxæ Marchio an. 1626. est renuntiatus.

*Stemma dominorum de Houfalise, & Marchionum de Treslon.*

**R**ICHARDVS Merodius, Richardi & Beatricis Petersemia filius, ex Elisabetha domina de Houfalise & Moriamè, in agro Leodiensi, genuit Richardum Houfalise, & Richardum Frentzij dominum.

Richardus Houfalisus Franciscum, Franciscus ex Tolenta de Hennin Ioannem Houfalise dominum, & Ludouicum sustulit.

Ioannes Houfalise dominus ex Philippa domina de Montfort in diœcesi Ultraiectina, genuit Helenam Merodiam, Philippo Merodio, Comiti de Oelen, an. 1627. defuncto, nuptam.

LVDVICVS, Ioannis frater, vxorem habuit Ludouicam de Blois, dominam de Treslon in Hannonia, & ex ea filium Philippum.

PHILIPPVS Merodius, à Philippo IV. primus Marchio de Treslon an. 1625. creatus, an. 1627. viuere desijt, ex N. Arenbergica relictis tribus filijs.



*Stemma Baronum de Frents in ditone Iuliacensi, & Comitum  
Middelburgensium in Flandria.*

1. **R**ICHARDVS Merodius, Richardi & Elisabethæ Houfalix seu Moriamæ filius, dominus de Frents, genuit Richardum.
2. Richardus vxorem habuit Franciscam de Bochout, filiam N. Baronis de Boulaer, & ea sustulit Richardum.
3. RICHARDVS de Merode, Baro de Frents, duxit Margaritam de Oignies, heredem dicti vici de Oignies, & opidi Middelburgensis in Flandria. Ex ijs nati, Philippus Comes Middelburgensis, & Richardus dominus de Oignies, in obsidione Bergizomensi an. 1625, cæsus.
4. PHILIPPVS de Merode, primus Comes Middelburgensis ab Alberto Pio Belgarum Principe (cuius Oeconomus fuit) creatus, Baro de Frents, Vicecomes Iprensis, dominus de Chastelineau, Vatenne, Lambuiffart & Linselles, vxorem habuit Ioannem de Montmorency, Baronissam de Croisilles & Chaumont, dominam de Glajon, Signy le petit, S. Legier, Wancourt, Vrauourt, Guemappe, Houplines, Coquelare, Molimont & Nieucapelle, filiam & heredem Georgij de Montmorency, Baronis de Croisilles, & Franciscæ de Iauffe, dictæ Mastaing. Obijt an. 1625.  
Ex hoc matrimonio nati, Georgius, qui an. 1613. obijt, Philippus, Margarita-Isabella, an. 1611. nupta Philippo Amoraldo de Villain, Comite de Isegem, Florentia & Francisca moniales in Carmelo Bruxellensi, Maria nupta Philippo de Iauffe, dicto Mastaing, anno 1621. defuncta, Claudia nupta Eustathio de la Vieuille, domino de Steinvorde, Ludouica Canonica Niuellensis, Clara-Eugenia, qua agit in gyneceo Isabellæ Hisp. Infantis, & Ioanna-Eleonora.
5. PHILIPPVS Merodius, Philippi F. Comes Middelburgensis, Baro de Frents & Croisilles, Vicecomes Iprensis, &c.



## CAPVT XCVIII.

*Ordinem Equitum Velleris aurei, an. 1430. a se institutum,  
Philippus Bonus, Burgundia Brabantiaque Dux,  
& Flandria Comes, suo diplomate con-  
firmat anno 1431.*

**P**HILIPPVS Dei gratia Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiaë,  
Limburgi, Comes Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Namurci  
Palatinus, Marchio sacri Imperij, Dominus Salinarum & Me-  
chliniæ.

Notum facimus omnibus præsentibus & futuris, quod propter  
magnum & perfectum amorem, quem habemus erga nobilem sta-  
tum & ordinem dignitatis Equestris, cuius honorem ardenti studio  
& singulari affectu augere desideramus, vt per Equestrum ordinem  
vera religio Catholica, status nostræ sanctæ matris Ecclesiæ, & tran-  
quillitas prosperitasque Reipublicæ defendantur & conseruentur.

Nos, ad laudem & gloriam omnipotentis Creatoris & Redem-  
ptoris nostri, ad honorem matris eius gloriosæ Virginis, & S. An-  
dræ, gloriosi Apostoli & martyris, ad exaltationem fidei & san-  
ctæ Ecclesiæ, & excitationem virtutum & bonorum morum, die  
10. mensis Ianuarij, anno Domini millesimo quadringentesimo vi-  
cesimo nono, qui erat dies solennisationis matrimonij inter nos &  
nostram carissimam & amantissimam coniugem ELISABETHAM,  
in opido nostro Brugenfi, suscepimus, creauimus & ordinauimus, &  
per has præsentis suscipimus, creamus & ordinamus Ordinem &  
fraternitatem dignitatis Equestris, & amicabilis societatis certi nu-  
meri Equitum, quem volumus appellari Ordinem VELLERIS  
AUREI, sub forma, conditionibus, statutis, modis & articulis, qui  
sequuntur.

Primò ordinamus, vt in Ordine antedicto sint vnus & triginta  
Equites, viri nobiles nomine & armis, sine reprehensione, quorum  
nos erimus caput & Præses, & post nos successores nostri Duces  
Burgundiæ, &c.

Datum in nostra vrbe Insulensi, vicesimo septimo die Nouem-  
bris, anno gratiæ millesimo quadringentesimo tricesimo primo. 1431.

Ff 3

NOTA:



## N O T A T I O.

ANNO 1429 ) stilo Gallicano, sed stilo Romano, annum à Kalendis Ianuarijs ordiente, anno 1430. Ordo Velleris aurei est institutus. Vide suprà cap. 90.

Initio non nisi XXV. pòst XXXI. Equitibus collegium Velleris aurei constitit, ipso Præsìde ceteris annumerato. Sed Carolus, postea eo nomine V. Cæsar, an. 1516. sodalitiùm LI. Equitum statuit: quod hodieque obtinet. Vide Origines nostras Equestris, Latinè anno 1609. editas.

Solent autem olim non à solo Præsìde, sed ab vniuerso collegio Equites adsumi, in conuentibus publicis, seu comitijs, quæ vulgari vocabulo Capitula nuncupabantur. Id primus mutauit Philippus II. Rex Catholicus: vt ex subiunctis diplomatibus Pontificijs datur intelligi.

Ordinis huius equestris Historiam breui, vt spero, publicabit V. Cl. Ioannes Iacobus Chiffletius Vefontinus.

*Gregorij XIII. Papa diploma ad Philipplum II. Regem Catholicum, an. 1572. datum.*

**G**regorius Papa XIII. Carissime in Christo fili noster salutem & Apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecisti, quòd ad præsens vacant plura loca & officia Ordinis seu societatis Velleris aurei, *Del Tuson* vulgò nuncupati, & dubitas de locis & officijs huiusmodi extra Capitulum dicti ordinis disponere seu prouidere posse.

Ad omnem igitur dubitandi materiam tollendam, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, vt hac vice de locis & officijs huiusmodi extra dictum Capitulum, quatenus id aliter facere nequeas, ad tui beneplacitum, disponendi licentiam & facultatem, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, concedimus.

Non obstantibus, dicti ordinis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus & naturis, etiamsi in illis caueatur expressè, quòd illa officia extra dictum Capitulum conferri non possent,



sent, & aliter factæ collationes & prouisiones nullæ essent; priuilegijs quoque indultis & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis approbatis & innouatis (quibus omnibus, eorum tenores in præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus) ceterisque contrarijs quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV. 1572.  
Octobris, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, pontificatus nostri anno sexto.

*Clementis VIII. Papa diploma ad Philippum III. Regem,  
an. 1596. missum.*

CLEMENS Papa VIII. Carissime in Christo fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cùm aliàs vacatibus pluribus locis & officijs ordinis siue societatis AVREI VELLERIS, *Del Tuson* vulgò nuncupati, de quibus tu forsitan dubitabas, an extra Capitulû dicti ordinis prouidere posses, felicitis recordationis Gregorius XIII. prædecessor noster, supplicationibus tuis inclinatus, Tibi, si extra dictum Capitulum generale eiusdem ordinis de illis aliter disponere non posses, de ijs extra illud liberè & licitè prouidendi licentiam & facultatem concesserit, prout in eiusdem Gregorij prædecessoris, in forma Breuis, decimo quinto Octobris, anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi, Pontificatus sui anno sexto, expeditis litteris plenius continetur, quarum vigore, sicut nobis exponi fecisti, tu de pluribus eiusdem ordinis locis & officijs tunc vacantibus disposuisti siue prouidisti:

Cumque nunc de alijs etiam, quæ postea vacarunt, similiter prouidere cupias, eamque ob rem eiusdem Gregorij prædecessoris licentiam ac facultatem, vsque ad numerum locorum dicti ordinis nunc vacantium completum, per nos extendi & ampliari, siue illam tibi de nouo concedi, per dilectum filium nobilem virum ANTONIVM DE CARDONA, Sueffæ Ducem, tuum apud nos oratorem, à nobis postulaueris:

Nos supplicationibus tuis huiusmodi inclinati, litterarum prædicti prædecessoris tenorem pro expresso habentes, Tibi de omnibus locis atque officijs dicti ordinis, nunc vacantibus, quatenus extra  
dictum



dictum Capitulum de illis aliter disponere aut providere nequeas; ad tuum beneplacitum, usque ad numerum locorum dicti ordinis completum, extra idem Capitulum generale, disponendi & liberè ac licitè providendi licentiam & facultatem, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, concedimus & impartimur.

Non obstantibus dicti ordinis . . . . . *ut supra.*

1596.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XV. Ianuarij, 1596. Pontificatus nostri anno quarto.

## C A P V T X C I X.

*Cartusianorum monasterium, haut procul ab urbe Bruxellensi, à Senatu Populoque Bruxellensi fundatur, fauente Philippo Burg.*

*Brabantiaque Duce. Id Pius II. Papa an. 1458.*

*probavit.*

**P**IUS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Pastoralis officij debitum nos excitat & inducit, vt ea quæ pro sacræ Religionis propagatione, ac diuini cultus augmento, nec non pro statu prospero monasteriorum, aliorumque piorum locorum, nec non personarum in illis sub regulari obseruantia, studio piæ vitæ, degentium, vtilitate providè facta sunt, firma perpetuò & illibata persistant, Apostolico munimine solidemus.

Sanè, pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum monasterij B. Mariæ, prope & extra muros opidi Bruxellensis, Cameraensis diocesis, nobis nuper exhibita petitio continebat,

Quod dudum dilecti filij, Burgimagistri, Scabini, Consules & Rectores eiusdem opidi tunc existentes, ad laudem & honorem Dei eiusque matris beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quoddam monasterium seu cœnobium pro septem fratribus, ac tribus aut quattuor ordinis Cartusienfis Conuersis sub regulari obseruantia eiusdem ordinis Altissimo famulantibus,

De consensu & voluntate, tam dilectorum filiorum nobilium virorum, PHILIPPI Ducis Burgundiæ, quin etiam CAROLI Comitis de Charlois, cum suis consortibus, ad huiusmodi cœnobij fundationē affectuosè auxilium, consiliū & assensum piè præbentium,  
Apud



Apud capellam B. Mariæ de gratia, infra metas parochiæ parochialis ecclesiæ S. Petri Anderlechtensis, iuxta & extra dictum opidum, de nouo erigi, construi & ædificari fecerunt,

Et pro eorundem fratrum sustentatione, omnia bona, tam mobilia quàm immobilia, antiquitus ad vsum pauperum peregrinorum Bruxellæ . . . . . per quosdam fratres S. NICOLAI, quorum nunc memoria non habetur, hospitaliter in dicto opido dispensata; & postmodum consentiente, vel saltem permittente tunc Episcopo Cameracensi, elapsis tamen centum annis & vltra, ad vsum quorundam fratrum SACCITARVM nuncupatorum, nullius tamen regulæ, deputata (ipsis fratribus Saccitis de necessitate vitæ primò contentatis)

Facto erectoquæ monasterio, capellam præfatam, in qua assidue diuina celebrantur, cum apportu & oblationibus, quibus tam ipsa capella, quàm monasterium huiusmodi pro maiori parte constructa sunt, & quotidie construuntur, cum alijs pertinentijs suis omnibus, iuxta modum . . . . . ordinationis per eos in dicta fundatione editæ, donarunt & assignarunt;

Prout in diuersis tam per Ordinarium super consensu, quàm Bur-  
gimagistros, Scabinos, Consules & Rectores præfatos, super ordinatione & alijs, in fundatione prædicta expressis, confectis instrumentis publicis, quorum tenores habere volumus pro expressis, dicitur plenius contineri.

Quare pro parte fratrum, in eodem erecto monasterio commorantium, nobis fuit humiliter supplicatum, vt fundationi, erectioni, donationi & assignationi prædictis, pro illarum subsistentia firmiore, Apostolicæ robur confirmationis adijcere, aliasque in præmissis oportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui diuinum cultum nostris potissimè temporibus vigere & augeri supremis affectibus desideramus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fundationem, erectionem, donationem & assignationem prædictas ratas & gratas habentes, illas ac omnia & singula eas concernentia in præfatis instrumentis contenta, & inde secuta quæcumque, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium confirmamus & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus: supplentes omnes & singulos defectus tam iuris quàm facti, si qui forsân interuenerint in eisdem.



Et nihilominus omnibus & singulis, nunc & pro tempore in dicto monasterio seu cœnobio degentibus fratribus & personis, vt omnibus & singulis priuilegijs, indulgentijs, libertatibus, exemptionibus, gratijs & indultis, alijs monasterijs & domibus, ac personis præfati ordinis Cartusienfis per Sedem Apostolicam vel alias in genere vel in specie concessis, vt & gaudere possint & valeant, eadem auctoritate indulgemus: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrarijs quibuscumque.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, communitationis, suppletionis & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

1458.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo, quinto Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno primo.

## NOTATIO.

Cartusianorum monasterium, prope Bruxellam in agro olim situm, Calvinistæ euerunt: estque nouum in ipsa vrbe cœnobium nostra memoria à fundamentis exstructum. Cartusianas nostras Origines, Colonia typis publicatas, plura si uoles, lege.

## CAPVT C.

*Maximilianus I. Imp. Carolum Crozum ex Comite creat  
Principem Chimacensem an. 1486.*

**M**AXIMILIANVS diuina fauente clementia Romanorum Rex, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgi, Luxemburgi, & Gelriæ; Comes Flandriæ, Habsburgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi, Artesiæ & Burgundiæ; Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ; Margrauius sacri Romani Imperij, & Burgouiæ; Lantgrauus Alsatia; dominus Frisiæ, Sclauoniæ, portus Naonis, Salinarum & Mechliniæ, &c. Nobilis



bili CAROLO Comiti de Chimay, ex illustribus de Croy, descendibus ex vera & legitima progenie seu origine Regum Hungariae, nostro & Imperij sacri dilecto, gratiã regiam & omne bonum.

Illustris, fidelis, dilecte, etsi regalis sublimitas, nec non eius circumspecta benignitas vniuersorum exaltationi studiosè consueuerit intendere, & ea quæ Reipublicæ conducibilia esse crediderit, perpendere; ad illorum tamen sublimationem procurandam, proniori & singulari quodam feruore inclinatur vberius, quos firma constantia & inseparatæ fidei diurnitas, euidentibus testimonijs in conspectu regis Maiestatis non mediocriter commendant.

Sanè consideratis multiplicibus & studiosis tuis & progenitorum tuorum obsequijs, & nobilium tuarum virtutum industrijs, quibus tu & progenitores tui, solida & integra probitate, cura peruigili, nobis & sacro Imperio Romano indefessè claruisse & complacuisse dignoscuntur, & in antea feruentius clarere & complacere poteris & debes, quanto maioribus honorum prærogatiuis, larga nostra manu regali, te senties frugalius relectum atque consolatum.

Ideoque regalis nostræ Maiestatis oculos, singulari quadam feruentia, in te gratiosius dirigentes, te nosque vtriusque sexus heredes, ac eorumdem successores legitimos, qui de lumbis tuis aut suis descenderunt, vel in posterum descendunt, in veros Principes illustres Principatus de CHIMAY, Principum sacri Imperij ad hoc accedente consilio, animo deliberato, auctoritate nostra regali, motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis, in nomine Domini Saluatoris nostri, à quo omnis honor & potestas prodire dignoscitur, eleuauimus, ereximus, sublimauimus atque creamus; prout eleuamus, erigimus, subleuamus, & creamus, auctoritate & potestate prædictis;

Decernentes & hoc regali nostro edicto, quod tu & heredes tui, ac eorumdem successores legitimi singuli vtriusque sexus, ex lumbis tuis & suis nati & nascituri, ex nunc & in antea perpetuis temporibus, quandocumque & quotiescumque casus se obtulerint, titulo Principis illustris dicti Principatus de CHIMAY frui, nominari & appellari possitis, ac in dandis & recipiendis iuribus, & in conferendis seu suscipiendis feudis, ac in omnibus alijs conditionem & statum Principum illustrium concernentibus, teneri, honorari, & vbique ab omnibus reputari, atque privilegio, honore, gratia, dignitate



rate & immunitate frui possitis & debeatis, quibus alij sacri Imperij Principes illustres hactenus, iure vel consuetudine, freti sunt; nostris tamen & sacri Imperij iuribus, auctoritate & superioritate in præmissis semper saluis.

Mandamus igitur omnibus & singulis Principibus ecclesiasticis & secularibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, militibus, clientibus, Officialibus quibuscumque, Capitaneis, Burggrauis, Potestatibus, Ancianis, Gubernatoribus, Præsidibus, iudicibus, Regibus armorum, Haraldis, personandis, ciuitatum, opidorum, villarum & locorum communitatibus, ceterisque nostris & Imperij sacri fidelibus dilectis, cuiuscumque status, gradus seu conditionis existant, tam in Imperio sacro, quàm alibi vbilibet constitutis,

Quatenus te & heredes tuos ac successores suos, vtriusque sexus legitimos præfatos, illustres Principes nominent, intitulent & reuerentur, vosque dignis semper honoribus prosequantur, cunctis temporibus futuris, ad euitandam nostram & sacri Romani Imperij indignationem grauissimam, & quadraginta marcarum auri puri pœnas, quas contrafacientes, toties quoties contrafactum fuerit, ipso facto nouerint se irremissibiliter incursum: quarum medietatem regalis fisci seu ærarij, residuam verò partem, iniuriam passorum vsibus decernimus applicandas.

1486. Datum in ciuitate nostra Imperiali Aquisgrani, sub regalis nostri sigilli appensione, & testimonio litterarum, ipso die coronationis nostræ Aquisgrani habita, anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto, regni nostri Romani anno primo.

#### NOTATIO.

CHIMAY) Chimacum, Hannoniæ opidum, olim Comitatus, nunc Principatus titulo clarum.

#### CAPVT CI.

*Maximilianus I. Imp. Iacobum Croyum Episcopum Cameracensem creat Ducem Cameracensem, an. 1510.*

**M**AXIMILIANVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalma-



Dalmatiz, Croatiz, &c. Rex, venerabili, illustri IACOBO DE CROY, Episcopo ac Duci Cameracensi, Comiti Cameracesij, Principi, Consiliario & consanguineo nostro deuoto, dilecto, gratiam nostram Casaream & omne bonum.

Splendor nostræ Casareæ Maiestatis, ad instar diuini illius solij, quod in magnitudine & multitudine electorum & Sanctorum suorum exultat, dignè trahens exemplum, hilari semper affectu desiderat, vt in circuitu Augustalis solij nostri, Principum numerus crescat & feliciter augeatur: quod & nostra Maiestas maioribus aucta dignitatibus, & potestatibus solidiùs roboretur, & fidelibus populis nostris iustitia administretur, ac indebitè oppressi & afflictè refugium habeant, vbi subleuamen & auxilium in pressuris eorum comperiant, & ceteri fideles nostri, spe gloriæ & præmij, ad virtutes magis magisque excitentur.

Attendentes itaque multiplicia virtutum tuarum merita, & deuotionis affectum, quo nos & sacrum Romanum Imperium omni studio & officio venerans, gloriam, honorem & commodum nostrum & ipsius Imperij assiduè sollicitis studijs procuras, motu proprio, & certa nostra scientia, animo deliberato, accedente etiam consilio & assensu venerabilium & illustrium nostrorum, ac eiusdem sacri Imperij Principum, Comitum, Baronum nobilium nostrorum fidelium dilectorum, te præfatum Iacobum Episcopum Cameracensem, Comitem Cameracesij (cùm & origo nobilitatis tuæ à serenissimis Regibus Hungariæ originem trahat, & beatitudo ac amplitudo ditionis tuæ multum se diffundat, nec non intemerata fides, deuotio & obseruantia tua & progenitorum tuorum, qua à longo tempore nobis & eidem sacro Romano Imperio, & serenissimæ domui nostræ Burgundicæ inseruiisti) hodie in verum Ducem Cameracensem erigimus, illustramus, insignimus, & decoramus.

Decernentes expressè, quòd tu ex nunc in antea omni dignitate & præminetia, iure, potestate, libertate, honore & consuetudine gaudere & frui debeas, quibus alij nostri & sacri Romani Imperij Duces illustres freti sunt hætenus, & quotidie potiuntur.

Ciuitatem Cameracensem, terras quoque tuas, munitiones, territoria, cum omnibus aquis, pratis, pascuis, iudicijs, homagijs, & alijs iuribus tibi competentibus, ac omnibus eorum pertinentijs,



quæ latitudo dominiij ciuitatis Cameracensis comprehendit, in verum Ducatum Cameracensem ereximus, ac de plenitudine nostræ Cæsareæ potestatis, tenore præsentium, erigimus:

Decernentes, & hoc Cæsareo statuente edicto, quòd tu Iacobus Episcopus & Dux Cameracensis, & Comes Cameracesij nominari & appellari, ex nunc in antea, debeas, & tamquam ceteri Romani Imperij Duces teneri & honorari, ac vbique locorum ab omnibus reputari; priuilegijs, gratijs & immunitatibus, absque omni impedimento, frui, quibus alij nostri & sacri Romani Imperij Duces & Principes, in conferendis & recipiendis iuribus, & in omnibus & singulis alijs, illustrem statum & conditionem Ducum concernentibus, freti sunt hætenus, seu quomodolibet potiuntur.

Quòd autem vniuersi re ipsa cognoscant peculiarem gratiam & beneuolentiam nostram, qua te complectimur, ad arma & insignia tuæ antiquæ & præclaræ nobilitatis, quæ sunt in hunc modum descripta: videlicet scutum quatripartitum, habens in superiori dextra, & inferiori sinistra, in campo argenteo tres facies rubeas, ad regulam directè per transuersum ductas, & in superiori sinistra, & inferiori dextra, etiam in campo argenteo tres secures rubeas, latas manubrijs breuibus rubeis; quarum duæ superiores manubrijs ad inuicem conuersis, inferior autem in dexteram vertens: in medio autem scuti, paruus clipeus superpositus etiam quadripartitus, in cuius superiori dextra & inferiori sinistra, in campo aureo sunt rubei tractus incerti numeri, ab angulis incipientes, quadrati in formam rumbi cancellantes: in superiori autem sinistra, & inferiori dextra eiusdem clipei, iterum in campo aureo est leo niger, eleuatis pedibus erectus, & cauda ad caput eleuata.

Hæc arma & insignia tuæ & tuorum nobilitatis antiquæ, in modum & formam subscriptam innouanda & melioranda, statuimus, & etiam innouamus & meliora facimus, auctoritate & de plenitudine potestatis nostræ Cæsareæ:

Scilicet, quòd tu Iacobus Episcopus & Dux Cameracensis, Cameracesij Comes, in posterum vltra arma & insignia solita, eisdem armis potiaris, quibus in eodem scuto ad tertiam partem, quæ caput scuti vocatur, superponatur sacra nostra Aquila nigra regalis in campo aureo, extensis alis, pedibus & cauda, rastellum rubeum transuersum per alas ad pectus gestans tribus dentibus, quorum  
singula



singuli in singulis alis, medius in pectore deorsum, porrecti; prout melius hæc artificis ministerio hîc in medio cernuntur figurata: quibus ex nunc in posterum futuris temporibus in omnibus vti possis, in quibus alij nostri & sacri Imperij Duces talibus vtuntur.

Omnes autem & singulos defectus, si qui in præmissis ratione solemnitatis omitti, dubia interpretatione sententiarum aut verborum, seu alio quouis modo comperti fuerint, suppletes, ex certa nostra scientia, & de plenitudine nostræ Cæsareæ potestatis, nostris tamen ac cuiuslibet alterius iuribus semper saluis, & præsertim ipsius ciuitatis Cameracensis, quam vltra solitum minimè grauari volumus, & sine præiudicio primæuæ amortisationis, libertatis, neutralitatis, iurium, priuilegiorum, concessionum, vsuum & consuetudinum laudabilium tuorum Episcopatus, ecclesiæ, Comitatus, ciuitatis, & subditorum tuorum, & absque eo, quòd vos aut aliqui vestrum ad aliqua seruitia subuentionesque teneantur, ad quæ ante eandem erectionem non tenebantur.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc nostræ illustrationis, erectionis, augmentationis, suppletionis, decreti, concessionis & mandati paginam infringere, aut ei ausu temerario contraire, sub nostra & sacri Romani Imperij indignatione grauissima, ac pœnæ centum marcarum auri puri, quarum medietatem fisco seu ærario nostro Cæsareo, reliquam verò partem, iniuriam passi vel passorum vsibus decreuimus applicari.

Datum in ciuitate nostra Imperiali Augusta die XXVIII. Iunij, 1510. anno Domini millesimo quingentesimo decimo, regnorum nostrorum Romani XXV. Hungariæ verò vigesimo primo.

### N O T A T I O .

De familia Croya libellum Gallicè scripsit Ioannes Scoherius, Duaci typis editum: ad quem mitto Lectorem plura desiderantem.

### F I N I S .



